







1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante  
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottl. / diff. de genuina  
vorum xarakter et ypostasi notione,  
Lippſie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de jefu Christo  
vindice dogmatis de mortuorum ad  
vitam reditu, Helmſt. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatricia.  
Lippſie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines,  
jens 1701.
6. diff. de regno Israelis reſtauran.  
do, jens 1709.
7. crocodilus lachrimans, jens 1733
8. diff. de Jefu Christo deandropo, jens  
1704.
9. diff. de gloria  
mundi jens 1661.



m. 20  
L. B. V.  
DISPVATIO THEOLOGICA,  
QVAM SVB AVSPICIIS  
SERENISS. PRINCIPIS REGII  
DN. FRIDERICI AVGVSTI,  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

DE  
BRABEO ANTE  
VICTORIAM,

SEV DE  
COELESTI BEATITVDINE  
HVIVS VITAE,

PRAESIDE  
DN. IO. GEORG. NEVMANNO,  
DOCTORE ET PROFESSORE THEOLOGO, TEM-  
PLI AD ARCEM PRAEPOSITO, CONSIST. ECCLES.  
ASSESSORE, ACAD. BIBLIOTHECARIO,

ET H. T.  
PRO-RECTORE MAGNIFICO,  
DOMINO PATRONO, AC PRAECEPTORE, QVOVIS REVE-  
RENTIAE ET CVLTVS GENERE, PER OMNEM  
VITAM SVSPICIENDO,

TVEBITVR  
MICHAEL Pinsdörffer/ Rigenfis.

A clō DCC VII. D. VII. APRIL.  
EDITIO SECVNDA.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI GERDESII.











§. I.

**Q**uod in rebus humanis perpetuum est, ut mutatis aliquando personis, causæ & eventus rerum subinde recurrant: Idem etiam ipsis fidei controversiis accidit, quæ aliquando decisæ, & vel ad vivum resectæ, mox, ubi solo non æque felici exceptæ fuerint, iterum succrescunt, & sub alio quandoque cælo progerminant, adeo, ut, nisi ex animis hominum evellantur in tempore, periculum sit, ne latius serpent, & per universam tandem Ecclesiam disseminentur.

§. II.

Ut enim ex innumeris Veteris Ecclesiæ exemplis vel unicum depromam, mota jam olim, sed & vicissim composita lis est, de *Beatitudine actuali hujus vitæ*: quæ primo quidem intuitu visa levior, ipso deinde successu sic invaluit, ut non mediocres in Ecclesia turbas excitarit. Nam, ut ne altius hoc certamen arcessam, jam superiori seculo, *Prætorius* quidam, non *Elias* ille, quo sub nomine latere voluit *Christianus Hoburgius*, notorius istius ævi Sectarius; sed *Stephanus*, Ecclesiæ Saliswedelensis Pastor, cum plurimos alios, tum hos inprimis errores sparserat: *Regenitos jam esse in vita æterna, eandemque possidere in medio paradisi*. Rursum: *Credentes non solum Spe, sed etiam Re salvos,*



4  
Et in regno Gratia simul & Gloria, constitutos esse. Item: Christum in credentibus habitare personaliter & essentialiter, ita, ut divina Majestas in ipsis sit personaliter, & Christus ipse cum illis unitus: atque id genus plura; quæ summam referuntur a B. Oleario, in *Isagog. Carpz. ad F. C. p. 1384*. Ac eo quidem latius fersperant hæ *κακοδοξία*, quo major eo tempore Jo. Arndii auctoritas erat, cujus cum prologo & commendatione Prætorii libelli edebantur in lucem. Mature tamen explorati hi errores sunt, & a magni nominis Theologis notati; quo adeo factum, ut dirigente negotium D. Wencelio, istius Ecclesiæ Ephoro, Prætorius ille palinodiam canere juberetur, conscripta hanc in rem peculiari obligationis formula: quam Georg. Conr. Dielfeldius exhibet, in *Commemitorio de Gazophylacio Prætorio-Statiano. Sect. I. §. 5.*

§. III.

Vix autem suppressæ, certe per auctoritatem Arndianam nondum extinctæ fuerant hæ *κενοφωνία*, cum ex libellis Prætorianis Thesaurum aliquem fidei; (*Schatz Kammer der Gläubigen*) colligeret *Martinus Statius*, Ecclesiæ Gedanensis Minister, ex Rathmanniano quondam certamine notus: cujus fœtus cum obruderetur Ecclesiæ orthodoxæ, Gedanenses Theologi, Verbique divini Ministri, ut magnas semper excubias pro conservanda verbi puritate egerunt; ita etiam de expurgando hoc fermento sedulo allaborarunt; stimulati idcirco a cordationibus per Germaniam Theologis, qui seductionis periculum animadverterant, atque in hoc proposito insigniter confirmati. Itaque *ὁμοθυμαδὸν* semel iterumque congressi, jam expungebant erronea, jam obelisco notabant *ἀκυρολογίας*, jam perstringebant ea, quæ Anti-Nomorum juxta & Weigelianorum redolebant camarinam, ipsique Enthusiasmo frigidam suffundebant. Ac B. quidem Calovius,



5

vius, magnum quondam Gedanensium Decus, Anti-The-  
ses Elenchticas, ex communi Ministerii consensu conscrip-  
tas, obtulit Statio, eumque iteratis congressibus, admonuit,  
instituit, correxit: donec re diligentius pensitata, convi-  
ctum se ille de errore ingenue fateretur. Quin & eo per-  
ductus est Statio, ut conceptis verbis, datoque *αυτογράφο*  
publico, sancte affirmaret, sentire se cum orthodoxa Eccle-  
sia, atque in hac consensione, annuente gratia divina, ad  
extremum vitæ halitum se perseveraturum. Quo de pec-  
uliaris exstat Epistola D. Bottsacci, *Gedani scripta, die 26.*  
*Febr. A. 1649.* Quædam etiam B. Calovius affert, *in Syst. Tom.*  
*X. p. 540.* Etsi vero per publicam Statio recantationem incisi  
errorum nervi fuerant, tamen ne sic quidem fieri potuit,  
ut offendiculum, Ecclesiæ datum, illico tolleretur. Itaque  
B. Gothofredus Olearius, Hallensium Ephorus, Thesaurum  
salutis Orthodoxum, adulterino huic Statio Thesauro oppo-  
suit, quo pretiosum a vili distinxit, dubia explicuit, & Ec-  
clesiam verissimo quodam veritatis Evangelicæ Thesauro  
instruxit. Præcesserat censura Facult. Theolog. Lipsiensis,  
cujus quendam nucleum sistit, Isagoge Carpzoviana *l. c.*  
Nec tacendus Jenensium Theologorum in hac causâ con-  
sensus, quem solido quodam responso testati sunt, dignissimo  
certe, quod temporum injuriæ eriperetur, & vel a Jure-  
Consulto posteritati conservaretur. Vix enim alibi occur-  
rit quam in Richteri, Jcti Jenensis, *Decisionibus, Part. III.*  
*Dec. 139. p. m. 160.*

§. IV.

Haecenus quasi sepultum, & ex hominum memoria  
sublatum fuerat, istud *de Beatitudine hujus vita*, certamen.  
Sed cum raro exspiret error, qui sub cinere doloso ad-  
huc latitat; mirum non est, hodie resuscitari illum & in  
ipsomet Pietismo, qui plerarumque omnium *τερατολογιῶν*



confluvium est, reviviscere. Namque Antesignanus, ut suæ velificetur hypothefi, de millenaria felicitate in his terris expectanda, omnibus Beatitudinis generibus perquisitis, non modo quam *Spiritualem* appellamus, quæque hujus seculi est, defendit *Beatitudinem*, sed & *Gloriosam*, & quæ futuri seculi est, in hanc vitam revocat, ejusdemque possessionem pie viventibus tribuit. Gemina certe sunt ejusdem paradoxa, & si cum supra recitatis Novaturientium placitis conferantur, propemodum eadem. Nam initio *Stephani Pratorii*, & , qui hunc sequebatur, *Martini Statti* scripta commendat, evehitque in cælum. Deinde, unam eandemque facit beatitudinem cum hujus, tum alterius vitæ, quæ cum regeneratione incipiat, & in alteram usque vitam perduret: nec aliter utramque distingui, ait, ac ratione statuum, quorum alter regnum *Gratiæ*, alter ipsum regnum *Gloriæ* respiciat. Porro, non tantum prægustum in hac quidem vita, sed actualem quoque possessionem omnium bonorum æternorum, quorundam etiam fruitionem, homini regenito vendicari: nec quicquam intercedere discriminis, nisi quod non intelligatur satis illorum dignitas & amplitudo, sed infirmitate carnis tegatur, & calamitatis onere prematur. Denique, *Loca Scripturæ Tit. III, 5. Eph. II, 8. 1. Petr. III, 21. Matth. V, 3. sq. de tempore præsentis & præteriti loqui*; unde colligit, hominem jam in hac vita æternæ beatitudinis participem reddi: inprimis vero *Apostolum id confirmare Rom. VIII, 24. cujus sententiam eo interpretatur: nos actuali beatitudine jam nunc gaudere, sed in Spe. i. e. majorem istorum bonorum cum revelationem, tum fruitionem in altera vita expectari*; & quæ sunt hujusmodi. Egit hoc passim, & ex instituto propugnavit integro libello, cujus frons est, *Seeligkeit der Kinder Gottes*: qui cum in omnium manibus sit, supervacaneum duxi loca describere, quæ per integrum tractatum omnium oculis observantur.



Neque vero in nostris tantum terris, sed & in exteris regionibus infelix ejusmodi lolium repullulascere observes, dubium ut sit, num sponte sua nascantur errores, an semina illorum aliunde ad nos adportentur. Petrus sane Poiretus, cujus libri in deliciis sunt neotericis; animam, docet, fundamentum vite aeternae simul & inferni, in se continere. Quod si enim tenebrosus anima fundus a massa tenebrarum depuretur, & ingenito illo, quod a natura habet, lumine totus collustratur, tum hominem ipsiusmet vite aeternae participem jam in hac vita reddi: sin vero idem anima fundus caligini suae relinquatur, & vitiosis praeterea oppleatur tenebris, jam ipsummet infernum, inquit, adesse & mortem aeternam. Quo de non ita pridem nobis actum in *Poiretismo Fanatico* §. 37. seqq. Similis farinae controversia est, quae elapso hinc triennio, utut ex alia hypothefi, nec eodem, ut apparet, instituto in Belgio agitari coepit. Nam inter Reformatos quidam *Fridericus von Leenhoof*, Pastor *Zwollensis*, librum ediderat, cui titulus, *de Hemel ob Aarde*: quo, ut ipsa libri inscriptio innuit, ostendendum sibi sumpserat: *Caelum in his terris hominem possidere; vel, in hac vita ad caelestium bonorum perceptionem pertingere: DEI nutu & providentia omnia regi; hominem ad voluptatem & gaudium ordinatum esse, minime vero ad tristitiam: itaque semper gaudendum nobis, nec ullis, utut calamitosissimis rerum eventibus, mœrori & tristitia indulgendum esse. Quam quidem hypothefin cum Reformati Theologi non uno nomine improbarent, & ex Spinozæ potissimum Schola de promptam ostenderent; qui contritionem & dolorem de admissis peccatis, ut vitia, Christiano homine indigna, tra-duxerat: auctor ille, cum privatam, tum publicam Ecclesiae censuram incurrit. Ac præ ceteris quidem hunc librum confutavit Honertus quidam, Ecclesiastes Amstelodamen-*



8  
damensis, cujus ad Leenhoofium Epistola *Amstel.* 1703. pro-  
diit. Cui deinceps Gvilielmus Sewelius, aliique manus  
junxerunt, donec ab utraque Synodo *Zuyd & Noord Hol-*  
*landica*, in Auctorem hujus libri animadversum, configna-  
tis quibusdam articulis Anti-Spinozianis, quibus Leenho-  
fius subscribere jussus est, ad quod cum promptum se fa-  
cilemque præbuisset, erroribus nihilominus, ut ante, for-  
titer propugnatis, Antistites Reformati, perspecta viri hu-  
jus fraude, acrius urserunt institutum, utque libros suos,  
scilicet Spinozianis hypothesebus referros, publice revo-  
caret, contenderunt. Vide plura de hac controversia in  
Sewelii Excerptis, per menses distributis, *ad A.* 1704. *Men-*  
*sis Julii.* p. 526. *Augusti.* p. 279. *it.* in ejusdem Bibliotheca  
*Mens. Maji.* 1705. p. 533.

§. VI.

Sed valeant in præsentī Novatores οἱ ἕξω, & qui suas  
extra Ecclesiam res agunt; præstat, quod velut domi-  
natum, & haud ita pridem in Germania inferiore subortum  
est certamen, perquirere. Nimirum, mota denuo inter  
quosdam Holsatiæ Ministros, de hoc argumento, contro-  
versia est; docente quodam e suggestu: (I.) Wir wären  
schon würcklich / würcklich seelig / und dürfften nicht erst  
seelig werden / sondern wir wären schon würcklich seelig:  
quam sententiam ex *2. Tim. I. 9.* & *Tit. III. 5.* itemque *Rom.*  
*VIII. 24.* ubi salvati in tempore præterito dicimur, sibi pro-  
bandam sumpsit. (II.) Regnum Gratia in sacris literis ideo  
appellari regnum Cælorum. *Matth. XX. 1.* & regnum Jesu Christi.  
*Col. I. 13.* eo quod sedere nos fecerit inter cælestes, in Christo  
Jesu. *Eph. II. 6.* (III.) Nihil inter beatitudinem Fidei seu Gra-  
tia, & Visionis seu Gloria intercedere discriminis, per *Jo. III. 36.*  
*1. Jo. V. 14.* *1. Tim. VI. 12.* *Ebr. VI. 12. sq.* (IV.) Fidem quoad omnes  
suos actus, quos in regno Gratia exseruit, ne in altera quidem  
vita



9  
vita desitiram. (V.) Ex Theologorum consensu, Inchoativam  
Beatitudinem ad hanc vitam, Consummativam ad alteram de-  
mum referendam esse, docet. Denique (VI.) Prætorium juxta  
& Statium, quos suas retractasse hypotheses, supra constitit,  
publice commendat: tum & Lutheri aliorumque Nostratum  
auctoritate militat, & vel hinc opinioni suæ Patrocinium qua-  
rit. Quæ ex Actis, ad Facultatem nostram transmissis, re-  
peto; ut conferantur cum Responso ipso Hamburgi excu-  
so 1706. Rogati itaque, ut nostram qualemcunque senten-  
tiam in hac causa aperiremus, non indignum publica  
disquisitione duximus argumentum, quod editis collegio-  
rum Theologicorum suffragiis, haud ita pridem luci pu-  
blicæ expositum fuit. Testamur autem ingenue, ab omni  
partium studio nos in hoc negotio fore alienissimos, nec ad-  
missuros quicquam, quod vel existimationem Dnn. *συστη-  
τῶν* laceessere, vel minimam sinistri affectus suspicionem  
præbere queat. *Ζήτημα* autem summam huc redit: An  
reginitus in actualem beatitudinis cœlestis possessionem jam in hac  
vita pertingere queat? de quo, per leges methodi, sic agen-  
dum nobis erit, ut expenso ante omnia controversiæ sta-  
tu, per aliquot rerum momenta, univèrsum illud, in quo  
cardo rei versatur, definiamus.

§. VII.

Quod proinde statum causæ attinet (I.) de *Reginitis*  
quæritur, i. e. hominibus, qui per verbum & sacramenta  
fidem conceperunt, & hanc adepti, in statu gratiæ perse-  
verant, dignosque fide evangelica fructus exserunt. Nam-  
que his salus æterna tribuitur diserte: qui crediderit & ba-  
ptizatus fuerit, salvus erit: *Marc. XVI, 16.* Simul enim  
ut homo reginitus est, spes quædam enascitur de hære-  
ditate, quæ in cœlis est, consequenda; id quod præclare  
Apostolus edisserit: *laudandus est Deus Pater, Domini no-*

B

stri



stri Jesu Christi, qui juxta copiosam suam misericordiam regnavit nos in spem vivam, per hoc, quod resurrexit Jesus Christus ex mortuis, in hereditatem immortalem & incontaminabilem, atque immarcescibilem, conservatam in caelis erga vos. 1. Petr. I, 3. 4. Ex quo loco illud imprimis conficitur, per regenerationem hominem non ad possessionem, sed tantum ad spem vivam vitae aeternae, quoad hic degit, eniti: cum hereditas illa ἡ κληρονομία, ἡ ἀθάνατος ζωὴ, ut describitur, non sane hujus, sed alterius vitae fit, adeoque ΤΕΤΗΡΗΜΕΝΗ, seu asservata dicatur, in caelis. Nec vice tantum simplici, sed saepius Scriptura id inculcat, quo fidem adeo nostram solidius obfirmet. Ita Johannes, praemisso, quod filii Dei simus, & aliquando Deum visuri, subjungit; & omnis, qui habet hanc spem, purificat sese. 1. Joh. III, 3. Perinde etiam Paulus: salvos nos fieri, inquit, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus S. quem effudit in nos opulenter, per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati illius gratia, heredes efficeremur; in quem finem: in spem vitae aeternae. Tit. III, 5. 6. 7. Atque haec spes tanta omnino est, ut ea freti, gloriari queamus de consequenda futuri seculi gloria Rom. V, 2.

### §. VIII.

Ceterum (II.) Beatitudo Gratiae, ab ipsa Beatitudine Gloriam accurate discernenda est: quarum altera Spiritualis appellari potest, eo, quod Spiritus S. donum est, viatoribus in hac vita impertitum: altera Coelestis & Gloriosa, quia ad regnum Gloriam pertinet, nec nisi inter caelites obtinetur. Illam cum Scripturis Beatitudinem Fidei, hanc vero Speciei & Visionis dices: quandoquidem, dicente Apostolo, hic per fidem ambulamus, nondum vero δια εἶδωμεν, per speciem. 2. Cor. V, 7. Neque vero haec distinctio nudius tertius inventa, vel ἀπὸ γράφῃς asserta, sed jam pridem Theologis obser-



H

observata, & in ipsis Scripturæ oraculis deprehensa fuit. Instar omnium nobis est Lutherus, qui ad Tit. II, 13. sic commentatur: *Distingvit Apostolus, inter vitam Spei, & vitam Apparitionis: vel uti 2. Cor. V, 6. vocat: inter vitam Fidei, & vitam Speciei: quasi diceret; aterna vita hic credi, sperari, & expectari debet, illic vero apparebit. Tom. V. Alt. p. 607. In eundem sensum B. Carpzovius, Senior, Beatitudo duplex est, pergit, una Gratia, altera vero Gloria; illa est libertas a peccati reatu, ac gratia vivifica leti fruitio: homo enim per justificationem non tantum impunis fit, Rom. V, 10. VIII, 1. 1. Theff. I, 10. Esa. LIII, 6. 7. sed etiam favorem DEI accipit, & jure aeternae hereditatis potitur. Rom. VIII, 17. Gal. III, 29. Tit. III, 7. Hec vero est ipsa possessio hereditatis, cujus jus per justificationem acquirimus. Syst. Tb. P. III. Art. XX. de Justific. §. 40. Instat præclaris B. Parentis sui vestigiis Venerabilis Dresdensium Præsul, Dn. D. Carpzovius noster, & quæ nervosius ille docuerat, latius diduxit, in solidissima Præfat. Medit. Miltizianis præmissa. Conf. B. Hœpffnerus, in Manucripto suo Davidico Disp. XIII. p. 402. Num vero Beatitudinem, proprie dictam, existere in his terris putes? certe, nihil est, quod de eo dubitetur. Nam si Philosophia Practica, per virtutes ethicas & civiles hominem ad summi alicujus Boni, sive moralis, sive civilis, cum possessionem, tum fruitionem, etiam in hac vita ducit, quis tantum efficaciam non tribuat fidei, & illi quidem Christi merito innixæ, & per dilectionem operosæ? Tanto certe majorena oportet esse hanc felicitatem, quo excellentius illud medium est, quo ad hunc finem enitimur. Unde præclara est B. Geieri observatio: *Davidem Psalmos suos ordiri ab ipso Summo Bono, tantopere a Philosophis undique quasito, nullibi tamen vere reperto; hujus proinde acquisitionem possessionemque in hoc Psalmo describi, præmissa ejus felicitate, seu premio certissimo. Comment. in Psalm. I, 1.**



§. IX. 2. Atque, ut de natura *Spiritualis hujus Beatitudinis paulo*  
*liquidius constet; est illa nihil aliud, quam Summum hominis*  
*Christiani Bonum, ad quod fide justificante, in hac vita, sic adspiramus,*  
*ut omnium bonorum spiritualium reddamur participes, iisdem*  
*fruamur, & debinc idonei reddamur, ad aeternam illam san-*  
*ctorum hereditatem, quæ summum & ineffabile alterius seculi bo-*  
*num est, consequendam. Quod ἐν σὺνοψει* descripsimus, id  
 nunc per momenta paulo uberius explicandum venit. Ac  
*Generis quidem loco, Summum Bonum, seu quod idem est,*  
 summam hominis felicitatem constituimus, quia cum alterius  
 seculi felicitate, sub hac notione, quam maxime convenit.  
 Quærenti vero, utrum hic conceptus vel *Univocus* vel *Æqui-*  
*vocus* sit? respondemus: *Analogicum* illum esse, sic, ut inter  
 Beatitudinem Gratiae & Gloriæ, quædam *Analogia eminentia*  
 intercedat, ceu Philosophis dicitur; quorum alterum magis,  
 alterum minus eminenter de tertio communi participat.  
 Cujusmodi sunt: *Essentia finita & infinita, ratione Entis. it. Ge-*  
*neratio divina & humana, in ordine ad Generationem ut sic; &*  
 quæ sunt cetera: de quibus libelli *Dialectici* consulendi sunt.  
 Interim tamen, uti analogia non negat veritatem rei, ceu  
*πολυθρόλυτρον* illud habet; ita & Beatitudo hujus seculi,  
 vere proprieque dictum bonum, & illud quidem, si cum  
 omnibus hujus vitæ bonis compares, *Summum*, ex merito ap-  
 pellatur. Nam illud *ἕν* plurali numero positum, Beatitu-  
 dinem longe excellentissimam innuit, sive de hominis justifi-  
 catione, sive de sanctificatione, quam in hac vita consequi-  
 mur, usurpetur. Sic *Beati omnes* dicuntur, qui *confidunt ipsi,*  
 (Messiæ) *Psal. II, 12. Beatus homo, cui remissa est pravariatio, &*  
*tectum ejus peccatum. Beatus homo, cui Jehovah non imputat pecca-*  
*tum, Ps. XXXII, 1. 2. Confer. Ps. XXXIV, 9. LXXXIV, 13. Prov. XVI, 20.*  
*Esa. XXX, 18.* Nec minus inter *Beatos* referuntur, qui san-  
 ctimoniam student, & in bono proficere allaborant. *Beatos*  
 enim



enim vocat Scriptura, qui non ambulant in consilio impiorum, & in via peccatorum non consistunt, sed lege Jehova delectantur, & in lege diu noctuque meditantur. Ps. I, 1. 2. Beatos, iterum, qui custodiunt iudicium, & faciunt justitiam. Esa. LVI, 1. 2. Ita & in N. T. ὁ μακαρισμός non minus viatoribus ad Beatitudinem gratiæ, in hac vita, tendentibus, quam comprehensoribus ipsis, tribuitur; certo indicio, non ὁμωνύμως & nominatenus, sed ἀναλόγως, interim tamen ἀληθῶς, vereque dictam hanc esse Beatitudinem. Beati enim diserte vocantur, qui credunt. Jo. XX, 29. Beati puri corde: Beati mites: Beati crucem sustinentes. &c. Matth. V, 3. seq. Quo observato, jam paulo rectius intelligitur illud Jacobi, qui auditorem legis, & effectorem operis, μακάριον nuncupat, ἐν τῇ ποιήσει αὐτῆ, in ipsomet opere suo. Jac. I, 25. scilicet Beatitudinem spiritualement huius seculi indigitat, ex fide δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, dijudicandam.

## §. X.

Ceterum, ut præcipuas huius Beatitudinis causas investigemus, & in ipsam, velut Porphyrio vocatur, διαφορὰν εἰδοποιεῖν penetremus, æstimanda illa (I.) suo ex fundamento est, seu fide justificante. Hæc enim illa est ὑπόστασις πραγμάτων ἐλπίζομένων, seu bonorum quæ sperantur: est ἔλεγχος bonorum, & ἔλεπομένων, quæ non videntur. Ebr. XI, 1. Hæc saluberrima illa scaturigo, ex qua flumina aque vivæ, i.e. χαρίσματα Spiritus S. uberrima, exundant: qui enim credit, sicut Scriptura dixit, flumina de ventre ejus fluent, aque vivæ. Job. VII, 38. Iterum: qui credit in ipsum, non sitiet in aeternum, sed, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγή ὕδατος, ἀλλομένε εἰς ζωὴν αἰώνιον orietur in eo fons aquæ, salientis in vitam æternam. Ita rem jucundissimam, ratione loquendi peræque jucunda, Spiritus S. describit Job. IV, 14. VI, 35.

B 3

§. XI.



Nec minus Beatitudo hæc dignoscenda (II.) ex *Obje-  
cto*, quod sane adeo amplum est, & augustum, ut nec de-  
scribi satis, nec cogitatione comprehendi possit. Quam  
late enim patet Evangelium, tam quoque late patet am-  
plitudo bonorum, a Christo nobis partorum, & per gra-  
tiam Spiritus S. applicatricem nobis in hac vita impertito-  
rum. Quorum sane tanta ubertas & copia est, ut nec  
enumerari omnia, nec justo satis ordine recenseri queant.  
Quantum enim hoc est, quod per Evangelium vocamur? *Matth.*  
*XI, 28.* quod illuminamur? *Eph. V, 8.* quod per legem agnosci-  
mus peccatum, & admissum contrito corde dolemus? *Rom. III,*  
*20. Psal. LI, 19.* per Evangelium autem regeneramur, & fidem,  
ceu vitam spiritualem consequimur. *Rom. X, 17. Jac. I, 18.* Jam,  
qui hunc Beatitudinis spiritualis gradum consecuti sunt, ut  
in fide consistant, admirabili omnium bonorum copiane-  
cesse est, cumulentur. Nam qui habet, scil. fidem, illi dabitur,  
*καὶ περισσευθήσεται, & abundanter habebit. Matth. XIII, 12.*  
Conf. *Marc. IV, 25. Luc. VIII, 18.* Ex fide igitur quam proxi-  
me sequitur *Justificatio*, id est, propriæ injustitiæ condona-  
tio; & justitiæ Christi imputatio: *Rom. III, 22. IV, 6. 7. 8.* inde  
*adoptio in filios Dei. Jo. I, 12.* inde *liberatio ab ira DEI & Legis*  
*maledictione: Galat. III, 23. IV, 4.* inde *Consortium* inter hære-  
*des DEI: si enim filii sumus, igitur & hæredes DEI & cohæ-*  
*redes ipsius Christi. Rom. VIII, 17.* inde *Desponsatio* animæ cum  
*sponso. Hof. II, 19. 20.* inde *Renovatio templi Spiritus S.* quam ab  
ipsa sanctificatione, cum B. Lysero, distingvimus. *Tit. III,*  
*5. Ephes. IV, 22. 23.* & quæ hinc fluit, *Unio mystica. Jo. XVII, 21.*  
*XV, 1. seq.* inde ipsa quoque *unctio spiritualis*, per quam, do-  
nis Spiritus S. affatim delibuti, Spirituales Prophetæ, Sacer-  
dotes & Reges evadimus. *2. Cor. I, 21. 1. Petr. II, 9. Ps. XLV, 8.*  
*Apoc. I, 6.* Vide Calovium in *Theol. Posit. p. 510.* Jam ulte-  
rius,



rius, qui Christo veluti palmites inserti sunt, ferunt fructum multum. Jo. XV, 5. & ubi verbum Evangelii, ceu bonum semen, in cordibus hominum radices egerit, in fructus vel centuplos se diffundit. Marc. IV, 20. Iterum: qui per fidem Christo insiti sunt, illi sortiuntur pacem cum DEO: Rom. V, 1. perduntur in statum gratia, in quo persistentes, gloriantur de spe gloria futura v. 2. gloriantur de afflictionibus hujus seculi, ipsaque patientia probantur. v. 3. 4. imprimis autem dilectio DEI effunditur in corda ipsorum, per Spiritum S. quæ cum amore proximi indivulso nexu conjungitur. vers. 5. 6. 7. 8. 9. Porro, qui Christo per fidem insiti sunt, non juxta carnem ambulant, sed juxta Spiritum. Rom. VIII, 1. nec juri peccati & mortis obnoxii sunt, sed ab illo liberati, v. 2. non qua carnis sunt curant, sed qua spiritus; v. 5. & hoc spiritu τὰς πράξεις τῆς σωματός mortificant. v. 13. Spiritu DEI ducuntur, ut filii Dei: vers. 14. & hoc Spiritu incitati, DEVM ceu Patrem propitium invocant; vers. 15. seque adeo in omnibus præbent, ut λαὸν περιέσιον, ἡλωτὴν καλῶν ἔργων. Tit. II, 14. Denique, qui communionem habent cum Patre, Filio & Spiritu S. ἀγιάζουσιν ἑαυτοὺς, dicente Joanne 1. Epist. III, 3. unde Sanctificatio seu Purificatio activa. Eph. IV, 23. 1. Thess. IV, 3. quæ quidem ex Spiritu S. gratia fluit, ut reliqua: cum fructus Spiritus sint charitas, pax, lenitas, gaudium, &c. Gal. V, 22. 23. interim tamen accedat, oportet ἡσπῆδὴ πᾶσα ἡμῶν, ut subministremus in fide virtutem, in virtute temperantiam, in temperantia vero patientiam, & quæ cetera sunt virtutum ornamenta, quæ coronæ instar inter se connectit D. Petrus. 2. Epist. 5. 6. Postremum, ut non postremo habendum loco, χάρισμα est, Perseverantia in bono: quandoquidem semen verbi, ex quo renati sumus, in nobis manere debet, ne peccemus 1. Jo. III, 9. & sic ad præfixum scopum contendendum nobis, ut brabeum superna vocationis DEI per Christum JESUM consequamur. Phil.



III, 14. & virtute DEI per fidem custodiamur ad salutem. 1. Petr. I, 5. Hæc itaque illa & multo copiosior *χαρισματα* divinorum affluentia est, qua summam *Beatitudo spiritualis*, quæ hujus vitæ est, continetur.

## §. XII.

Sed pergendum hoc ordine, & (III.) ex *Forma* inprimis de hac *Beatitudine* judicandum, quæ quidem in *possessione*, quin etiam *usu*, & *fruitione bonorum*, hactenus recensitorum, consistit. Differunt hæc tria, sed & suo se ordine invicem excipiunt & illustrent. *Possessio* enim proprie detentio rei occupatæ est, cum animo eam sibi habendi, eademque & utendi & fruendi. *Ufus* vero est, quo rem possessam velut medium adhibemus, ad obtinendam ejus *fruitionem*. Denique *Fruitione* est, quæ bonum propter se expetimus, diligimus, & in eo, summa cum voluptate, acquiescimus. Jam multum quidem est *rem possidere*, plus vero, *eadem uti*, plurimum tandem *eadem frui*. Sic, mundi sumus incolæ, adeoque illum tantisper possidemus, quin etiam eodem utimur; sed tamen minime sic fruimur hoc mundo, ut eundem per se expetamus, aut in eo acquiescamus. Hinc jubet Apostolus, ut *ut amur mundo, tanquam non ut amur*, i. e. ne eodem fruamur. 1. Cor. VII, 31. Præclare hæc distingvit Augustinus, eo loco, ubi ex instituto docet, solo Deo fruendum esse: *Magna est questio*, inquit, *utrum frui se debeant homines, an uti, an utrumque?* *Preceptum enim est nobis, ut diligamus nos invicem. Sed queritur, utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud?* *Si enim propter se, fruimur eo: si propter aliud, utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus; quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata*, aureo libro, de *Doctrina Christiana Lib. I. c. 22.* Alibi vero inter usum & fruitionem multo subtilius distingvit, ubi, quæ-  
stione



stione denuo mota: *utrum homine, quem diligimus, fruamur?*  
 pergit: *cum homine in DEO fruereis, DEO potius quam homine fruereis. Illo enim fruereis, quo efficiaris beatus, & ad eum te pervenisse letaberis, in quo spem ponis, ut venias. Inde ad Philemonem Paulus, ita frater, inquit, ego te fruam in Domino. Quod si non addidisset in Domino; & te fruam, tantum dixisset; in eo constituisset spem Beatitudinis sua, quanquam & vicinissime dicitur frui, cum delectatione uti. Quum enim adest, quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est, gerat. Per quam si transferis, eamque ad illud, ubi permanendum est, retuleris, uteris ea, & abusive, non proprie, diceris frui. Si vero inhaeris atque permanseris, finem in ea ponens letitiae tuae, tunc vere & proprie frui dicendus es. Libr. cit. cap. 33. Jam etsi isthoc Augustini acumine opus non sit, in declaranda doctrina, quam & rudes sermonis justitia percipere debebant; Hebr. V, 13. operæ tamen pretium est, distingvere ea, quorum confusio heterodoxiae poterat occasionem præbere. Dicimus proinde, per regenerationem nos fidem acquirere, & in possessionem Boni spiritualis transire. Quotquot enim baptizati sunt, Christum induerunt, Gal. III, 27. & cum hoc omnis benedictionis spiritualis participes facti sunt Eph. I, 3. Simul vero ac fidem adepti sumus, instrumentum nos idoneum validissimumque tenere, cujus usu ad fruitionem reliquorum bonorum aditus aperitur. Nam ex fide justificamur illico, & justificati, pacem cum DEO impetramus per Dominum nostrum Jesum Christum. Rom. V, 2. reconciliati autem cum DEO, quantum non bonorum spiritualium indipiscimur! quæ fusius enarrantur ibidem vers. 3. 4. sq. Atque hæc fruitio illa est bonorum spiritualium: de qua passim gaudet atque exultat Ecclesia: *DEVS propugnaculum nostrum, rupes nostra, in qua conquiescimus, scutum nostrum, & cornu salutis nostra, quia & refugium nostrum. Ps. LXXIX, 3. Et alibi: si**



*consumptum sit cor meum, petra tamen cordis mei, & proportio mea DEVS est in aeternum Ps. LXXIII, 26. iterum: Inebriamur ubertate domus tuae, & torrente deliciarum tuarum potamur, quoniam apud de est fons vitae: Ps. XXXVI, 9. Unde & gustus nomine, in Scripturis celebratur: Gustate & videte, quam bonus est Dominus: Beatus vir, qui sperabit in eo, Psalm. XXXIV, 9. Ebr. VI, 4 5. Sed quousque hæc bonorum fruitio sese extendit, & quomodo illa a fruitione bonorum cœlestium distingvitur? Præeunte Scriptura intra fidem atque spem decurrit illa, nec ultra hanc sphæram progreditur; sed in hac persistit, & in hac gloriatur de futura DEI gloria. Rom. V, 2. Hebr. VI, 19. conf. Parallelismum de spe vitæ æternæ, supra § VII. allatum.*

§. XIII.

Præterea (IV.) ex statu & conditione hujus Beatitudinis non nihil lucis huic difficultati, ut opinor, accedit. Nam Beatitudo illa *hujus vitæ, hujusque sæculi, & quod multo tristius nomen, hujus mundi est.* Quod igitur Stoici dicere solebant: *Sapientem in ipsis tormentis beatum esse*, idem de hac Beatitudine pronuncies, quippe qua frui licuerit, etiam si maximis affligaris ærumnis. Nam lugent in hoc mundo fideles, & tamen dicuntur *Beati*: persecutionem patiuntur propter iustitiam, neque sic desinunt esse *Beati*: probris & calumniis afficiuntur, & propter Christum varie divexantur, & tamen hac *Beatitudine* ob id non excidunt. *Matt. V, 4. 5. 6.* Sane, donec in mundo sunt, afflictionem sustinent: interim eriguntur a Christo, ut bono semper animo sint, & victoria ejus, de mundo reportata fruantur. *Jo. XVI, 33.* Denique (V.) Beatitudo hæc nostra ex *Attributis* etiam innotescit. Quo pacto possessio illa ac fruitio hujus Boni dicenda, modo (a) *actualis*, vel si mavis, *realis*; NB. ein wirklicher Besitz und Genuß der gesti. Gauden. Güter. Uti enim per fidem cum Christo actu unimur, quin & di-

*vine*



*vina natura participes reddimur, Gal. III, 26. 27. Eph. III, 17.*  
*2. Petr. I, 4. & jam nunc filii DEI sumus: 1. Jo. III, 2. ita actua-*  
*lem perinde, atque realem dicere hanc Beatitudinem, quid*  
*impedit? modo (β) abscondita atque ab omni splendore*  
*externo, in oculos incurrente, aliena. Si enim regnum*  
*Christi non venit cum externa παρακλησει, sed intra nos est.*  
*Luc. XVII, 20. 21. non poterit esse alia Beatitudo hujus regni,*  
*quam occulta: i. e. obtecta quidem cruce & calamitate, inter-*  
*rim in se semper gloriosa; spreta quidem mundo, attamen in*  
*oculis Dei pretiosa: quando quidem fides nostra ἰσοτιμῶς,*  
*seu pretiosa dicitur, scilicet ἐκ τιμῆς αἱματός τῆς Χριστοῦ.*  
*3. Petr. I, 1. & 1. Petr. I, 19. Quanti vero cunque pretii hæc bea-*  
*titudo sit, tamen (γ.) imperfecta in hoc ævo est; uti res ipsa*  
*loquitur. Cum enim imago DEI, eo usque in nobis instau-*  
*rari non possit, ut homo iterum quoad omnes partes atque*  
*gradus ἁγίου, i. e. rectus & perfectus, evadat, qualis olim condi-*  
*tus fuit: Eccles. VII, 29. 30. nec adeo liberari possit in hac vita*  
*a corpore mortis & peccati. Rom. VII, 24. VI, 6. ultro consequi-*  
*tur, summum hoc bonum ἀναλόγως tantum, & κατὰ τί*  
*sic appellari, nec alio sensu perfectos atque beatos nos reddi,*  
*quam perfectione imputata, quæ est in Christo Jesu. Nam quia*  
*in illo inhabitat omnis plenitudo Deitatis, ideo in illo sumus*  
*πεπληρωμένοι καὶ τῆς λαοῦ Col. II, 9. 10. 1, 28. Hoc denique in-*  
*tuitu (δ.) dispositiva & preparatoria dici meretur, ad conse-*  
*quendam Beatitudinem æternam. Namque per fidem in*  
*Christum idoneos nos fecit ad participationem sortis in lumine.*  
*Coloss. I, 12. & Ecclesia veluti sponsa Christi, hic sese preparare*  
*jubetur; ut lampade fidei instructa, & virtutum ornatu exulta,*  
*ad nuptias agni introducat. Matt. XXV, 1. sq. Apoc. XIX, 7.*  
*Hæc itaque tam copiose explicanda erant, quia pars sequior*  
*nobilem hanc distinctionem, in qua totius rei cardo versa-*  
*tur, vel omittit, vel levi saltem brachio attingit.*



Postquam igitur de *Beatitudine spiritali seu Gratia* conflictit; restat, ut *Beatitudinem gloriæ* quoque, sed paucis, & quantum ad institutum facit, explicemus; atque adeo, quid inter utramque discriminis intercedat, paulo clarius edoceamur. Est autem *Beatitudo hæc bonum illud summum, & numeris omnibus perfectum, quod DEVS hominibus electis, seu finaliter in Christum credentibus, post beatam analysin, ratione animæ, possidendum atque fruendum; at, post animæ cum corpore reduntionem, utrique totius compositi parti, plenissima, at nobis ineffabilis ratione percipiendum ex mera gratia concedit, in nominis sui laudem, & ipsorummet Beatorum æternam exsatiationem.* Itaque hoc bonum absolute summum ἀκρότατον ἡ τελειότατον, adeoque omnibus numeris atque gradibus consummatum est; quo quidem cum priori, κατ' ἀναλογίαν attributionis, convenit. Licet vero omnem humanæ rationis captum longissime transcendat hujus boni cognitio, non nulliustamen momenti est, quod colligas (1.) ex *Fundamento* hujus tanti boni, quod *beatifica DEI visio, s. intuitiva cognitio est.* Uti enim incessans DEI visio in Angelis fundamentum erat, ut in bono confirmarentur: *Matt. XVIII, 10.* ita & beatifica DEI visio, ad quam electi admittuntur, prima veluti basis est, cui reliqua vitæ æternæ bona innituntur. Ubi enim vita æterna delineatur a priori, tum futura dicitur *διὰ ἑῶς.* *2. Cor. V, 7. a facie ad faciem. 1. Cor. XIII, 12. ὄψασία καθώς ἔστι,* ceu Joannis oraculum id confirmat: *scimus, quod simulac apparuerit, similes ei futuri sumus; quoniam ὁψόμεθα αὐτὸν καθώς ἔστι, videbimus ipsum, sicut est. 1. Jo. III, 2. Conf. Job. XIX, 26. 27. Ps. XVII, 15.* Aliquanto vero plus cognoscitur (2.) ex *Objecto* hujus Beatitudinis, quod in bonorum cœlestium συνδρομῇ & accumulatione consistit, tanta quidem illa, ut nec



nec animo comprehendi, nec ullo verborum apparatu declarari queat. Distingvunt tamen Theologi hæc bona, cum ratione *totius compositi*, quæ & corpus & animam simul afficiunt; tum prout *alterutram compositi partem* respiciunt; adeoque vel animæ, vel corpori seorsim tribuuntur: utraque tamen ex beatifica Dei visione fluunt. Ac prioris quidem generis sunt (α) *perpetua cum Christo conversatio*, quippe quam Apostoli cum beatifica DEI visione subinde conjungunt. Jo. XVII, 24. Phil. I, 23. 1. Theff. IV, 17. (β) *Perfectissima imaginis divina recuperatio*, iterum cum DEI visione connexa. Psalm. XVI, 15. Act. III, 20. (γ) *Ineffabilis exultatio*, quam & ipsam beatifica DEI visio gignit. Psalm. XVI, 11. XVII, 15. CXXVI, 1. (δ) *Plenaria sanctitas & impeccabilitas*. Ephef. V, 27. Apoc. VII, 14. (ε) *Cælestis paradisi inhabitatio*. Jo. XIV, 2. Apocal. II, 7. Cap. XXI, 1. 2. sq. (ς) *Affidua DEI glorificatio* Psalm. LXXXIV, 5. Apocal. XIX, 1. & quis omnibus enumerandis sufficiat? Quæ vero sigillatim animæ vindicantur, sunt: *Perfecta intellectus illuminatio*. I. Cor. XIII, 10. *Consummata voluntatis & appetitus rectitudo*. Pf. XVII, 15. Eph. V, 26. 27. *Mutua omnium beatorum agnitio*, etiam nunquam antea conspectorum, quod colligitur ex Matth. XVII, 3. 4. Denique etiam *Corporum perfectiones* speciatim enumerantur, eo, quod illa futura sint *Spiritualia & Christo σὺμμορϕα*. 1. Corinth. XV, 44. Matth. XXII, 30. Phil. III, 21. Dehinc *invisibilia*, non quidem absolute, sed pro cuiusvis arbitrio, & respectu corporum non glorificatorum; quod exemplo Christi, Luc. XXIV, 31. Act. X, 41. & aliorum quorundam Sanctorum, Matth. XXVII, 53. probatur, adde, quod *Impassibilia*, & quod hinc sequitur, *incorruptibilia & immortalia*, 1. Cor. XV, 42. 44. Apoc. II, 11. XXI, 4. *Clara denique & illustria*. Dan. XII, 3. Matth. XIII, 43. Rom. VIII, 18. 1. Cor. XV, 51. olim sint extitura.



Ecquid vero (3.) de *Forma* æternæ Beatitudinis commemoremus? fatemur ingenue, ἀόρατον illam esse, atque ineffabilem, *quando oculus non videt, auris non audivit, nec in cor hominum descendit, quod DEVS præparaverit diligentibus se. 1. Cor. II, 7. 9.* Quod tanto quidem certius est, quo disertius Apostolus docet: *ne quidem apparuisse, quid futuri simus. 1. Jo. III, 2.* Interim tamen, ne minor quam Ethnicorum, de vita alterius seculi, sit notitia nostra, qui præeunte Platone ajebant: τὸ μὲν σαφές εἶδέναι περὶ τῆς μελλούσης ζωῆς, ἐν τῷ νῦν βίῳ ἢ ἀδύνατον ἢ παγγάλεπον. *clare aliquid cognoscere de vita futura, vel impossibile, vel difficile admodum esse, in Phædone p. 363.* agedum ex S. literis doceamus, quantum ad demonstrandum utriusque Beatitudinis discrimen pertineat. Quousque enim Scriptura nos ducit, eousque progredi sat tutum est. Hæc igitur Beatitudinem Gloriæ non in ἀποθέσει collocat, qua animæ ex essentia DEI, velut lumine, ceu scintillulæ disfilire, & post mortem vicissim igniri, adeoque in fontem luminis redire finguntur; quod Stoicorum delirium est, alibi nobis explosum: nec in illapsu essentia divine in animas Beatorum, ac si essentiam divinam in se recipiant, & sic, abolita hominis natura, cum DEO essentialiter uniantur; quæ Platonico-Mythicorum crambe est, jam pridem fastidita: sed in æterna nec interrupta cœlestium bonorum possessione, usuque & fructione jucundissima; vel ut brevius dicam: *in omnium rerum cœlestium satietate*, hanc Beatitudinem præcipue constituit. Altius hoc rimari mysterium non ausim, ne ultra Scripturam sapere velle videar. *1. Cor. IV, 6.* Hæc autem regnum nobis paratum esse dicit, ad quod possidendum electi invitantur: *Matth. XXV, 31. 34.* hæc nos heredes τῶν πάντων designat, *Apoc. XXI, 7.* hæc civitatem delineat, & illam quidem perpetuo inhabitandam

dam



dam 2. Corinth. V, 1. Ebr. XIII, 14. civitatem, inquam, qua neque egebit sole, neque luna, ut luceant in ea; neque ulla nox eandem obscurabit. Apoc. XXI, 23. Nec usum fructum hujus tanti boni possessoribus denegat, sed deducuntur, inquit, ad vivos fontes aquarum Apoc. VII, 17. Et assidebunt scaturigini vitæ Ps. XXXVI, 10. Itaque in DEI solius facie invenient satietatem deliciarum: Psalm. XVI, 11. Sicque adeo in uno DEO ἀὐλαγαΐσω, qui omnia in omnibus futurus est, toti acquiescent. 1. Cor. XV, 28. Insuper (4.) Statum, per omnia miserræ hujus seculi conditioni dissimilem futurum, ἐξαγωγίον est, quandoquidem incolæ cœlestis civitatis constituentur ante thronum DEI, ubi nec esurient, neque sitient. Apoc. VII, 15, 16. Ubi neque luctus neque clamor, neque dolor, neque mors ipsa ultra erit. Apocal. XXI, 4. Esa. XXV, 8. XXXV, 10. 1. Corinth. XV, 26. Denique (5.) de *Attributis* nihil addo, cum ultra constat, *eternam, quietam, & ab omni calamitatis genere longe remotissimam fruitionem* hanc fore. Cumulat ἐξοχὰς istius Beatitudinis divus Petrus, quando κληρονομίαν hanc ἀφάρτων ἢ ἀρίωντων, ἢ ἀμαρτων, item: ἀμαράντων τῆς δόξης σέθενον appellat. 1. Petr. I, 4. c. V, 4. Plura igitur non addo, ne justo prolixior esse videar; a qua tamen suspicione vel ideo alienum me fore crediderim, quod de discrimine Beatitudinis disputari haud possit, nisi de natura utriusque antea confiterit.

#### §. XVI.

Redeamus itaque ad statum controversiæ, & quid (III.) notio *actus* Beatitudinis sibi velit, in gratiam diffidentium dispiciamus. Hic, ne quid dissimulem, luditur termino *actus*. Vel enim actu beatum esse, wie es sich selbst seyn / idem notat, ac certum & convictum esse de *eterna Beatitudine*: & tum quidem nihil rei veritati decedit; saltem modus loquendi ambiguus, adeoque Theologo



logo cordato indignus est: *vel tantundem valet, atque actu, aeterna possessione, usuque & fruitione vita aeterna gaudere, nec eandem amplius sperare: quorsum tendit Dissentientis illa phrasis: wir sind schon würcklich selig, und dürfen nicht erst selig werden: tum certe aliquid offendiculi præbet, neque salva fidei analogia admitti potest; Vel denique actualem Beatitudinis spiritualis possessionem, quæ hujus seculi est, innuit, & sic probatur loquendi ratio, tantumque abest, ut reprehendi possit, ut potius veritatem confirmet, superius §. XIII. assertam.*

### §. XVII.

Præterea (IV.) distingvit pars sequior inter *fruitionem DEI inchoatam & consummatam: quam quidem Distinctionem & nos amplectimur, dummodo recte explicetur. Nam inchoata illa, vel sensu diviso accipitur, pro cognitione DEI per fidem, eademque ænigmatica, quo pacto contradistingvitur intuitiva cognitioni, nec ultra Beatitudinem gratiæ extenditur; prout illam interpretatur Gerhardus: Vita aeterna inchoative & imperfecte hic habetur, cognoscendo DEVM per fidem; habetur autem in cælo perfecte, cognoscendo DEVM per visionem. Loco, de Vita aeterna. §. 7. Cui in eadem sententia præiverat Philippus Melancton, qui inchoatio vita aeterna, inquit, est in hac vita, fide æternum DEVM, qui misit filium suum Jesum Christum, agnoscere, quod placatus sit per filium, & eum invocare, petere, & expectare consolationem in omnibus arumnis. Hac consolatio in veris angoribus est gustus vita aeterna, de quo hic (Jo. XVII. vers. 3.) dicitur, & de quo Paulus loquitur, Rom. VIII, 15. accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater. Part. III. Oper. p. 836. Vel sensu composito sumitur illa, & tum inchoativa DEI fruitio nihil aliud Dissentienti est, quam actualis bonorum æternorum cum possessio, tum per-*



perceptio, ad quam in hac vita pertingere viatores posse, pertendit. Priorem quidem distinctionis sensum admittimus cum Theologis nostris: posteriorem vero, ceu fidei minus congruum, repudiamus. Nam initium possessionis juxta & perceptionis bonorum æternorum post beatam demum ἀνάλυσιν futurum est, pronunciante Christo: esto fidelis usque ad mortem, & (tum) dabo tibi coronam vitæ. Apoc. II, 10. Ut vel hinc constet, dispensationem brabei expectari non posse ante victoriam: Qui enim vicerit, huic (demum) dabo sedere mecum in throno meo. Cap. III, 21. Conf. Apoc. XIV, 13. 2. Tim. IV, 7. 8.

### §. XVIII.

Denique (V.) cum in hac controversia subinde provocent dissentientes ad προγευσιν seu προποδισμόν æternæ Beatitudinis, ad quem in hac vita adspirare liceat regentis: ante omnia tenendum, nuspiam Scripturam de προγευσει i. e. prævia bonorum æternorum perceptione loqui; sed de γευσει tantum, qua bonorum spiritualium dulcedinem libare quasi & degustare jubemur. Expendantur loca, quæ in hanc rem adducuntur: Ps. XXXIV, 9. 1. Petr. II, 3. Ebr. VI, 4. Plura enim vix suppetunt. Dehinc distinguendum censeo, inter γευσιν seu gustum fidei salvificæ, quo virtutes verbi Evangelici, in hac vita, abundantiori quadam mensura percipiunt fideles, iisdemque summa cum delectatione fruuntur: & inter gustum, seu, ut recepto loquendi more utar, προγευσιν visionis salvificæ, qua æternæ Beatitudinis quoddam, in hac vita, primordium capere existimantur. Loca modo citata, non de priori προποδισμῶ, sed de posteriori interpretanda sunt, uti res ipsa loquitur. Nam quod Ps. XXXIV, 9. attinet, a Petro ρητῶς repetitum, utrobique ad promissiones Evangelicas invitantur auditores, reprehensio contemptorum stupore,

D

quod



quod tantam DEI Benignitatem nec perpendere animo, nec explorare velint: *Gustate igitur, & videte, quam suavis sit Dominus*: addito epiphonemate, prorsus Evangelico, quo de fidei Evangelicæ præmiis admonentur: *Beatus vir, qui confidit in eum.* Id quod in loco Petrino ita sonat: *qui crediderit in illum, non pudebit. v. 6.* Quæ omnia gustum fidei salvificæ innuunt: at de *γεῦσι* visionis beatificæ, nec volam addunt nec vestigium. Locus item ad Hebræos, citatus, de peccatoribus in Spiritum S. agit; quos quidem vitæ æternæ *πρόγευσι* habuisse, quis ausit affirmare? Non enim id evincit ἡ δωρεὰ ἐπ' ἀγαθῶν *seu donum caeleste, quod gustasse dicuntur vers. 4.* siquidem id ex *Ephes. I, 3.* de benedictione spirituali interpretandum, quæ ἐν τοῖς ἐπ' ἀγαθῶν consistere, adeoque caelestis originis esse dicitur. Cujusmodi enim *γεῦσις* hæc fuerit, illico subnectit Apostolus; scilicet gustasse hos peccatores *καλὸν Θεοῦ ῥῆμα.* id est, percepisse *gratiosum DEI verbum, seu Evangelium. v. 5.* Nec obstat, quod indurati illi gustasse leguntur *δυνάμεις μέλλοντες αἰῶν* *seu virtutes futuri seculi*; nam virtutes illæ, hoc textu, nihil aliud sunt, quam virtutes & miracula seculi N. T. quippe quod *variis virtutibus prodigiisque, & Spiritus S. distributionibus* omnium maxime illustrabatur. *Hebr. II, 4. 5.* *Futurum autem seculum* appellatur stylo Prophetico; quia Apostoli velut in divortio V. & N. T. constituti, suum illud, quo degebant, ævum, ceu *presens*, quod vero instabat, ut *futurum* aut *novum* intuebantur: id quod latius explicatum nobis alibi est. *Conf. Hebr. VIII, 13. IX, 9. 10. 11. X, 1.* Nec alium hic gustum, quam fidei salvificæ, indigitari, jam pridem Theologi observarunt. *Virtutes futuri seculi, ait Flacius, Notis ad h. l. sunt illud ineffabile piorum gaudium, ex verbo & Spiritu S. nobis proveniens.* In eundem sensum Calovius noster: *hic gustus, inquit, est fidei*



fidei salvifica, qua promissiones illas suas faciunt, & in iis gratiam DEI & meritum Christi cum omnibus beneficiis, qua nobis acquisivit, sibi applicant vere fideles, iisque summa cum delectatione fruuntur. *Bibl. Illustr. ad Ebr. VI 5.*

§. XIX.

His ita in antecessum ponderatis, nunc sigillatim, & ἀνὰ μέρους decidemus controversiam, unaque & altera conclusione finiemus. (I.) *Fides Catholica hæc est, ut Beatitudinem Gloria, non hujus, sed alterius vite bonum esse profiteamur. Non de Beatitudine spirituali, quæ utique ad regnum Gratia pertinet, disputatur, sed de coelesti & gloriosa, quam non nisi in altero illo & futuro seculo locum habituram, simplici quidem, at catholica fide asseveramus. Scilicet hæc fides Patriarcharum erat, qui Deum sibi post mortem credebant Deum, id est, Remuneratorem, fore. Exod. III, 6. Matth. XXII, 32. Talis & Jobi fides, qui post exantlatam calamitatem, sese visurum esse Deum in carne sua, certo sibi promittebat. Job. XIX, 26. Nec diversa hinc erat Davidis confessio, qui visurum se credebat bonum Jeeboe in terra viventium Ps. XXVII, 13. i. e. in regione beatorum, per Scripturæ concentum. Ps. XVI, 11. Ps. XVII, 15. Ps. CXLII, 6. Es. LX, 19. Matth. V, 5. Unde Apostolus, consignato fidelium catalogo, omnes, inquit, meliorem civitatem expectabant, sed coelestem i. e. in cælis paratam. Ebr. XI, 16. Quam fidem & N. T. Ecclesia amplectitur & suam facit: Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram querimus. Ebr. XIII, 14. & alibi: Scimus, quod si terrenum nostrum domicilium hujus tabernaculi destructum fuerit, edificationem habemus ex DEO: domicilium non manu factum, æternum in coelis. Nam in hoc gemimus domicilio nostro, quod in coelo est superindui desideramus 2. Cor. V, 2. Deinde, nihil solennius sacris literis est, quam ut aliud seculum, aliudque πῶς Beatitudini gloriosa destinent.*



nent. Nam *ὁ αἰὼν*, quo cœlestis Beatitudo fidelibus dispensatur, non hoc, sed futurum illud seculum, adeoque ipsa æternitas est. *Nemo erit*, inquit Christus, *qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, mei causa & Evangelii, quin recipiat centupla, nunc in hoc tempore, mox & ἐν τῷ αἰὼνι τῷ ἐρχομένῳ, ζωὴν αἰώνιον.* in seculo futuro, vitam æternam. *Marc. X, 29. 30.* Ubi certe seculum hoc præsens, & futurum perspicue distingvuntur, ipsaque Beatitudo *Glorie* non ad illud, sed ad hoc in solidum refertur. Geminum quippe est Fidei & Pietatis præmium *cum hujus*, quod ad beatitudinem gratiæ, *tum future vite*, quod ad beatitudinem æternam pertinet. *1. Tim. IV, 8.* Unde, collata utriusque seculi conditione; *non reputo*, inquit Apostolus, *esse pares afflictiones presentis temporis, ad futuram gloriam, que revelabitur erga nos. Rom. VIII, 18.* His itaque aliisque Scripturæ oraculis superstructa est fides Symbolica, quam ad primum quemque hostium impetum sustinemus. Nam juxta Symbolum Nicenum confitemur: *nos expectare resurrectionem mortuorum, & (in altero seculo) vitam æternam.* Et juxta Symbolum Athanasianum; *qui bona egerunt, ire in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum: Hæc est fides catholica.* Quam sane fidem catholicam, etiam in Ecclesiis nostris sonora voce profitemur: *nach diesem Glend/ist uns bereit/ ein ewiges Leben/ in Ewigkeit.* Nec quicquam sacris literis convenientius dici poterat. Nam ubi merces nostra copiosa erit? respondet Christus: *ἐν τῷ ἔργῳ in cælo. Luc. VI, 23. 35.* Ubi verissimi thesauri nostri, quos nec ærugo, nec tinea corrumpit, quos nec fures effodiunt, nec auferunt? in cælis. *Matth. VI, 20. XIX, 21.* Ubi permanens illa hæreditas, & cœlestium bonorum substantia? *Scitote vos habere κρείττονα ὑπαγὰς ἐν ᾗ μένεσθαι, meliorem & stabilem bonorum substantiam, sed*



sed ubi? ἐν ἔρανοῖς, in caelis. Ebr. X, 34. Conf. 2. Cor. V, 2. Phil. III, 20. Col. I, 5. 1. Petr. I, 3. 4. Ebr. X, 34. Equidem excipiunt Dissidentes, Scripturam, ubi Beatitudinem nostram prædicat, de tempore præsentis, quin & præterito loqui. Nec diffitemur, familiarem & obviam hanc esse Scripturæ S. loquendi rationem. Verum, si penitus expendantur loca, nemo negaverit, partim de certitudine & infallibilitate promissionum, interpretanda illa esse: partim de Beatitudine Gratia, quam in hac vita non secus ac præsentem, imo ut præteritam agnoscimus. Dubius vel maxime locus, quem nobis objiciunt, Paulinus ille est Rom. VIII, 24. ubi legitur: τῇ ἐλπίδι ἐσώθημεν, spe salvati sumus. Hic perperam ex verbo præteriti temporis, actualem Beatitudinem laborant exsculpere. Nam modus loquendi non nisi certitudinem salutis, nobis per Christum acquisitæ, & electis destinatæ, arguit. Quam quidem interpretationem, ut ordine pergamus, evincit (I.) Textus, qui ἐλπίδι, i. e. spe nostram fulciri salutem, docet; id quod perinde est, ac si diceretur, ἐν ἐλπίδι in spe. Ephes. IV, 4. εἰς ἐλπίδα ζωσάν, in spem vivam 1. Petr. I, 3. ἐπ' ἐλπίδι super spe, Act. II, 26. Quamobrem sic colligo: quicumque spe salutis futuræ adhuc ducuntur & sustentantur, illi salutem æternam re ipsa seu αἴτιον, nondum obtinent. Ratio manifesta est, quia Spes est expectatio rei futuræ: bonum autem jam obtentum amplius sperari nequit. Atqui fideles, spe salutis futuræ adhuc eriguntur & sustentantur: Ergo. (II.) Contextus, cum ratione commatis antecedentis, tum consequentis. Unde iterum necimus argumentum: Qui tantum primitias Spiritus habent, & post destructionem corporis sui demum, adoptionem & libertatem gloriæ filiorum DEI, expectant; illi actu beati non sunt; atqui de Regenitis id docetur v. 23. Ergo. Rursum: Quodcunque bo-



num jam obtentum ac præsens est, illud cum fidem, tum ipsammet spem illius adhuc consequendi, evertit. Nam, *Spes, si ante oculos sit, non est spes: quod enim quis cernit, cur idem speret?* ut pergit Apostolus: *vers. 24, 25.* Atqui Beatitudo cœlestis, per hypothesin secus docentium, bonum jam obtentum ac præsens est, Ergo laudem fidei & spei penitus tollit. (III.) *Scopus.* Quicumque e gratiæ præsentis certitudine, ipsius gloriæ futuræ certitudinem, per integrum caput demonstrandam sibi sumpsit, ille & hoc textu, non actu præsentem, sed futuram aliquando Beatitudinem, a Christo promissam, intendit. Atqui Apostolus per universum hoc caput id agit: Ergo. Nam sub initium, characteres filii DEI enumerat, cuiusmodi sunt; a condemnatione, a lege peccati & mortis, liberari. *vers. 1, 2.* imbecillitatem carnis agnoscere, *vers. 3.* secundum spiritum ambulare, *vers. 4.* quæ Spiritus sunt, sapere, *vers. 5. 6.* DEO per fidem placere. *vers. 8.* a Spiritu DEI inhabitari, indeque vivificari. *vers. 9. -- 13.* & per omnia a Spiritu DEI stimulari ac regi *vers. 14.* Posthinc, ex *beatitudine gratiæ*, futuram illam *salutem gloriæ*, solidis quibusdam argumentis, demonstrat; quorum *aliud* petit, a Spiritu S. dono, quod adoptio est, *vers. 15.* *aliud* ab interno Spiritus testimonio. *vers. 16.* *aliud* a beneficio *υιοθεσιας*, v. 17. *aliud*, ex magnitudine *κατασκευαστων* & afflictionum, cum æternæ vitæ gaudiis aliquando commutanda. *vers. 18.* *aliud*, a gemitu omnium creaturarum, etiam anima carentium, quibus insit nativum quoddam liberationis, a vanitate humana, desiderium. *vers. 19. 20. 21.* *22.* *aliud* ab anxia filiorum DEI expectatione & gemitu. *v. 23.* *aliud* ab infallibilitate spei, hoc ipso commate *24. & 25.* *aliud*, a Spiritu S. assistentia, sicubi spes illa vacillet *v. 26. 27.* *aliud*, a vocatione, electione, & justificatione. *vers. 28. 29. 30.*

Deni-



Denique *aliud*, ab indubitata electorum glorificatione, quæ neque morte, neque vita, neque præsentibus, neque futuris intervertenda sit, *vers. 31. - - fm.* Sicque adeo a *χαρισμασι* & bonis spiritualibus, ad *ἀνχήματα* καὶ *ἑραβεῖα*, seu splendidissima vita æterna bona ac premia, colligit rationes. Accedit (IV.) *Parallelismus*, quo per seriem locorum quamplurimorum doceri potest, nihil frequentius cum Prophetis, tum Apostolis esse, quam *per tempus præteritum rei futura certitudinem indicare.* Loca B. Glassius collegit, quibus multo poterunt adjungi plura. Uti enim nemo illud *Jo. III, 18. qui non crediderit, ἤδη κέκριται, jam condemnatus est*, interpretabitur de judicio DEI jam peracto, sed aliquando peragendo; nec quisquam illud Pauli *Rom. VIII, 30. quos justificavit, hos ἔδοξατο ε. glorificavit*; aliter ac de gloria, justificatis certo conferenda, acceperit: simili ratione, ubi *σωθέντες* & *jam servati* dicimur, nihil aliud docetur, quam salutem nobis æque certo collatum iri, ac si eadem jam potiremur. Addo (V.) velut ex abundanti, *Consensum maximorum interpretum*, qui passim oculis exponitur. Nervosa Balduini paraphrasis est: *spe salvi facti sumus; quasi dicat Apostolus: hic nondum rem, sed spem veræ felicitatis habemus: non enim ad hujus, sed futuri seculi fruitionem sumus conditi.* *Comment. ad h. l. pag. m. 540.* In eundem sensum accuratissimus Theologus, B. Höpfnerus hunc locum explicat: *De salute gloriæ ait Apostolus, spe salvi sumus. i. e. speramus vitam æternam certo, & non aliter, ac si jam obtineremus illam. Neque enim ait, Salvabimur, sed salvati sumus: eaque infallibilitas spei, ex DEI promittentis parte, simpliciter est absoluta; sed respectu nostri, quibus conditio a DEO posita est, & implenda restat, non nisi hypothetica, si fiduciam & gloriationem spei, (adversus hostes, Satanam, mundum, peccatum) usque ad finem retineamus*

mus



mus. At de salute gratiæ, certitudinem fiducia fidei enun-  
 ciat in præterito, non tantum respectu divinarum promissio-  
 num, sed etiam quoad præsentem impletionem conditionis, sub  
 qua salus gratiæ seu beatitudo spiritualis promittitur, & quoad  
 actualem fruitionem gratiæ. Eph. II, 8. 9. Tit. III, 5. Diss. IX.  
 de Justific. p. 801. sq. Conferatur denuo Magnif. Dn. D.  
 Carpzovii Præfatio, in Meditationes Miltizianas, quæ ube-  
 riores hujus dicti vindicias exhibet. At satis de hoc loco,  
 ex quo haud difficulter, quid de reliquis statuendum sit,  
 cognoscitur. Quod si igitur, porro nobis obvertant illud  
 2. *1. Thimoth. I, 9.* ubi *DEVS* salvos nos fecisse, & vocasse dicitur  
 vocatione sancta; iterum per *Enallagen Aoristi* pro futuro, de  
 certitudine & infallibilitate salutis inde convincimur, quip-  
 pe quæ suis innixa est causis, & data, seu acquisita nobis,  
 per *Christum Jesum ante tempora æterna.* *ibid.* Sed quor-  
 sum octupla illa Beatitudo pertinet, quam possidere nites,  
 puri corde, pauperes Spiritu & alii fideles dicuntur? *Matth.*  
*V, 1. sq.* Certe & illa Beatitudo spiritualis est, utpote quam  
 viatores jam tenent in hac vita, ut antea ostensum. Quor-  
 sum porro illud? *Gratia servati estis per fidem: τῆ χάρι-  
 τὸς ἐσσωσμενοι.* *Ephes. II, 8.* etiam hic Beatitudo gra-  
 tiæ designatur, quæ in justificatione consistit, ob quam  
 credentes jam in hac vita reputantur beati *Rom. IV, 6. 7.*  
 Idem denique judicari debet de classico illo, *ἔσωσεν ἡμᾶς,*  
 per *lacrimum regenerationis & renovationis Spiritus S.* *Tit.*  
*III, 5.* Hic enim de salute gratiæ sermonem esse, *ἀντι-  
 στροφῶν* docet, quo illa *hereditati æterna,* contradistingvi-  
 tur per justificationem obtinendæ. *vers. 7.* Ipsa enim ju-  
 stificatio basis est, cui Beatitudo cœlestis innititur, & qua  
 finem fidei consequimur, scilicet salutem animarum. *1. Petr.*  
*I, 4. 5.*



Itaque (II.) *Beatitudo Gloria non ut bonum ὄρατόν, seu quod ante oculos & præsens sit, sed ut ἐλπιδόν seu desiderabile, adeoque, ut futurum, in S. literis proponitur.* - Nam, utrumque ἀσύστατον est Apostolo, sperare aliquid, & coram intueri: futurum idem, ac simul præsens esse: *Rom. VIII, 24. Hebr. XIII, 14.* Jam pronum ac facile est ostendere, Beatitudinem gloriæ sperari tantum atque desiderari, nondum vero præsto esse in hac vita. Si enim spes, definiente Tullio, nihil aliud, quam *expectatio boni futuri est, Libr. IV. Tusc. c. 37.* liquido apparet, spem vitæ æternæ nihil aliud esse, quam expectationem futuræ illius beatificæ DEI visionis. Mirum autem, quantum in hoc consentiant S. literæ, ut & sperare jubeant hoc bonum, & futurum esse, quoad hic vivitur, clare testentur. Prius sic ostenditur. Nimirum, spei indoles hæc atque natura est, *expectare ea, quæ non videntur, atque æterna sunt, σκοπεῖν τὰ μὴ βλέπομενα καὶ αἰώνια.* id est, fixis quasi in metam oculis, prospicere in ea, quæ non videntur. *2. Corinth. IV, 18.* Itaque in hanc spem vocamur. *Ephes. IV, 4.* in eandem regeneramur. *1. Petr. I, 3.* hac spe, velut re præsentī, potimur, *κρατῶμεν τῆς προκειμένης ἐλπίδος.* *Hebr. VI, 18.* Hac spe fulti, quasvis sufferimus calamitates; Pauli in primis exemplo adducti, qui coram Agrippa, causam suam perorans, ob spem promissionis, inquebat: *quæ Patribus meis facta est, huic me iudicio subiectum agnosco. Act. XXVI, 6.* Hac demum spe erecti, usque ad interius, quod intra velum est, introimus, *εἰσερχόμεθα εἰς τὸ ἔσωτερον τῆς κατὰπέλασματος.* *Hebr. VI, 19.* Quid multis? hæc illa spes est, quæ vita amissa, perditisque omnibus vitæ bonis, non sinit pudesceri. i. e. non reprobari, non condemnari. *Rom. V, 5.* Quinimo, ubi anima tantæ complementum spei indepta, & ad ipsam DEI visionem

E

ad-



admissa fuerit, corpus nihilominus sive sepultum, sive in ipso redactum cineres, spem retinet, potiundæ aliquando æternæ salutis; quo pacto *caro nostra*, (vel in pulverem redacta,) *requiescere* dicitur, in *spe Act. II, 26. Dan. XII, 4.* Sane vix alius, vel certior, vel luculentior character quondam erat, Christianos discernendi a Paganis, quam quod hi essent *μη έχοντες ἐλπίδα*, non habentes spem. *1. Thess. IV, 13.* illi vero *προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα*, expectantes beatam illam spem, & revelationem gloriæ magni DEI, & Servatoris nostri Iesu Christi. *Tit. II, 13.* atque hi ipsi sunt, qui *κατέχουσι τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινη* i. e. indubitatae huius spei confessionem tenent. *Hebr. X, 23.* Quæ quidem confessio vel ex cippis & epitaphiis veterum Christianorum perspicitur, quibus ceu publicis tropæis, etiam post mortem, significarunt, spem omnino sibi superesse, æternum illud brabeum consequendi. *Posterius* vero tanto evidentius est, quo disertius Scriptura Beatitudinem, *ut futuram*, & post obitum demum, *obtinendam*, testatur. *Qui perseveraverit eis τέλει*, in finem vitæ, *is σωθήσεται.* *Matth. X, 22. XXIV, 13. Marc. XIII, 13.* *Qui crediderit & baptizatus fuerit, σωθήσεται.* *Marc. XVI, 16.* *Qui invocaverit nomen Domini, σωθήσεται.* *Act. II, 12. Rom. X, 13.* Ut ne plura nunc cumulem. Addo tamen velut *ἐν τῷ περιούσι*, ipsorummet gentilium consensionem, qui sive naturæ lumine, sive verbi divini sono excitati, summam hominis felicitatem, non nisi ut futuram, animo præceperunt. Nam Pythagorei antiquissimæ Sæctæ Philosophi, probis illis, qui philosophabantur, *spem in fine denuntiabant*, teste clemente Alexandrino *Libr. IV. Strom. p. 360.* Socrates etiam, sapientissimus mortalium, melioris vitæ fiducia erectus, non reformidabat mortem, *sed ἐυελπίς εἰμι*, præclara me spe sustentente, inquebat, *mortuis aliquid boni post mortem superesse*, &

quem-



quemadmodum jam olim creditum est, longe melius esse bonis, quam malis: uti apud Platonem, in *Phaedone*, non sine animi voluptate, legas pag. 63. ex edit. Serrani. Hinc etiam Aquilejenses, Gordianos Principes jam vita functos, fatentur εἰς ἄρα-  
 νόν κ' Θεὸν ἀνακεχωρηέναι, in cælum ad DEVM commigrasse: apud Herodianum. *Libr. VIII. Cap. VI §. 6.* Licet vero gentiles sua fefellerit spes, quo minus ad videndum DEVM admissi sint: minime tamen eos fefellit opinio, de beata DEI visione, post mortem demum homini expectanda.

§. XXI.

Tametsi vero (III.) visiones Prophetica quamplurimis, cum Prophetis tum Apostolis obtigerint, neminem tamen mortalium ad beatam DEI visionem admissum, in hac vita fuisse, aut bodienum admitti posse, contendimus. Nimirum Intuitivam DEI visionem viatorum, eandemque salutarem, & Scholastici propugnant, & mystici Doctores, utut non eodem, quod sciam, instituto. Illi enim viros in V. & N. T. Θεοπνεύστis, per modum quendam extraordinarium, quo DEVS per miraculum quoddam vires oculorum elevaverit, DEI gloriam in his terris vidisse, tradunt; saltem, ut suæ velificentur hypothesi, & B. Virgini, aliisque, quos venerantur, sanctis eandem ὑπεροχὴν vendicent. Hi vero, non tantum in Mose aliisque Prophetis, Apostolis item & quibuscunque viris illuminatis, beneficium salutaris DEI intuitus agnoscunt: sed & omnibus promiscue hominibus viam præscribunt, per ἀποκάθαρσιν, seu purificationem animæ, ad visionem DEI beatificam, in hac vita, perveniendi. Quid, quod ipsi per quendam affectuum soporem, omniumque idearum, quæ lumini divino obfcent, abolitionem, ad propiorem DEI conspectum assurgere connituntur, adeoque more ἐν Ἰσθιασῶν, ævi Apostolici,







ceu B. Schmidius hoc κατὰ τὸ ῥητὸν reddidit. Attamen hæc omnia non *beatificam DEI visionem*, sed eminentiorem tantum revelationis gradum, qui præ reliquis Prophetis Mofi peculiaris erat, innuunt. Itaque obsecranti aliquando, ut sibi ipsammet *DEI Majestatem & gloriam contueri liceret*, qua cœlites fruuntur, respondet Jehovah: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet. Exod. XXXIII, 18. 20.* haud obscure insinuans, ejusmodi ἀδυναμίαν homini in hac vitæ esse naturalissimam; uti loquitur B. Osiander. *Commentar. in b. l.* Non minores multo, sed peræque memorabiles & inusitatas visiones Patriarcharum & Prophetarum fuisse, indubium est. Siquidem aliquando *DEVM a facie ad faciem viderunt, & salvam inde animam suam pradicarunt. Gen. XXXII, 30.* Aliquando contemplati sunt Jehovam, *sedentem super throno sublimi & elato, & fimbriis templum undiquaque implentem, ipsosque Seraphim, τρισάγιον clamantes. Esa. VI, 1. 2. sq.* Aliquando *DEVM viderunt, ut Senem grandævum, & ex tribu-nali pronunciantem sententias. Dan. VII, 19. 20. sq.* Interim tamen a propheticis hisce revelationibus argumentum duci haud potest, ad evincendam *beatificam*, de qua nunc disquiritur, *visionem*; quandoquidem impiis sæpe & maleferiatis hominibus hujusmodi indultæ ἀποκαλύψεις fue-re: ut *Bileamo, Num. XXIV, 4.* & *Sauli, inter Prophetas olim viso, 1. Sam. XIX, 24.* aliisque. Tametsi quoque ob ejusmodi ἐπτασίας propheticas, se felices judicarent viri Θεόπνευ-σοι: hoc tamen minus ἀυτακρείας & beatitudinis ex illis percipiebant, quo pluribus quandoque angoribus terroribusque, intra hoc revelationis intervallum, angebantur: adeo, ut mortem evasisse, perinde ipsis fuerit, ac animam redemisse. Quo sensu Jacobus velut lætabundus exclama-bat, quod *salvam inde animam* retulerit. *loc. modo cit. Conf.*



Gen. XXIV, 11. Sic & aliquando *populus deprecabatur, ne DEVS ipse secum loqueretur*; quia summopere metuebat, ne ad conspectum DEI concideret plane ac moreretur. Exod. XX, 16. Quin & ipse Moses rem miraculo similem censet, DEVM e medio ignis loqui ad homines, & hos ipsos manere vivos. Dent. V, 23. 24. sq. Conf. Judic. VI, 22. sq. XIII, 22. Denique, quod Paulum Apostolum attinet, qui in tertium usque cœlum, inusitato quodam inter mortales exemplo fuerat euectus; ne hoc ipsum quidem de beata Dei visione, sed excellentissimo quodam revelationis gradu interpretamur. Quam enim ipse recenset hujus ἐκστάσεως historiam, tali notabilem ἐπιγραφήν reddit: *Veniam nunc ad visiones & revelationes Domini, eis ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις Κυρίου.* 2. Cor. XII, 1. Quid, quod hanc illuminationem ὑπερβολὴν τῶν ἀποκαλύψεων i. e. excellentissimam revelationem appellat: quæ tamen a voluptate & gaudio cœlesti hoc remotior erat, quo magis cum ærumnis & afflictionibus conjuncta; ne vero inquit, *excellencia revelationum efferrer, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satan, qui me colaphizet. vers. 7.* Ex quibus omnibus conficitur, verissimum esse, quod tot S. Literarum testimoniis firmatum est; neminem mortaliū ad beatificam DEI visionem, aut admissum fuisse unquam, aut posthinc admitti posse.

§. XXII.

Tantum igitur abest, ut (IV.) de Usu & fruitione vitæ aeternæ gaudeant viatores, ut ne de possessione quidem actuali bonorum cœlestium gloriari, in hac vita, queant. Nam quia ὀπτασία, seu beatifica DEI visio, principium & fundamentum est omnium vitæ aeternæ bonorum, per §. XIV. hæc vero in neminem fidelium, quoad hic degit, cadit; ut modo patuit; ultro consequitur, ne possessionem quidem actualem vitæ aeternæ, homini viatori, dum in his terris est,



est, indulgeri. Distingvunt Jcti, ubi de rerum divisionibus agunt, inter *jus ad rem*, ceu vocant, & inter *ipsum jus in re*. Illud nihil aliud ipsis est, quam spes, facultas item ac potestas nanciscendi jus in re; hoc vero ipsa rei possessio, usus, atque fruitio. Præcedit illud tempore; hoc sequitur. Illud vindicationem rei absentis; hoc ipsamet occupationem boni præsentis involvit. Quæ præterea circa hanc descriptionem occurrunt, difficultates, ad legum civilium peritos, remittimus. Transtulit jam olim Philippus noster hanc distinctionem in forum theologicum maxime, & ad decidendum hoc argumentum idoneam censuit. *Si liberati sumus*, inquit, *ut adhuc speranda sit hereditas, postea possidenda; & ut ita dicam, nunc habemus jus ad rem, nondum in re.* Tom. IV. Oper. f. 150. Cujus deinde vestigia Gerhardus, Danhauerus, Calovius, aliique legerunt. Neque vero non in ipsis Scripturis hujus distinctionis fundamentum reperio, cum Apostolus, collato utriusque fœderis statu, *quamdiu*, inquit, *heres puer est, non differt a servo: & ut ut futurus sit omnium dominus, κὺριος κἀντων ὧν, tamen sub tutoribus & actoribus est, usque ad tempus, quod Pater præscriperat: Sic & nos, cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus in servitutem adacti.* Gal. IV, 1. 2. 3. Itaque de similibus simile ferendum est iudicium, nec aliud de Beatitudine spirituali & cœlesti pronuntiandum. Uti enim sese habet puer, seu minor-ennis, quem dicunt, ratione hæreditatis adipiscundæ, ita quoque regeneritus, intuitu hæreditatis cœlestis: atqui vero, per textum Paulinum, ita se habet ille, ut licet jure nativitatis quandoque Dominus omnium futurus sit, imo certitudinis causa, sic appelletur: nihil tamen differat a servo, quin sub tutoribus & actoribus gemat, ἀχρι τῆς προθεσμίας τῆ Πάτρως, usque ad adultam ætatem, quam

Pater



Pater ad hæreditatem idoneam judicavit. Igitur regeneratus, ratione adeundæ hæreditatis cœlestis, ex regeneratione, jus quidem ad rem obtinet, ut, & scribatur hæres, & Dominus bonorum omnium nuncupetur. *Apoc. XXI, 17.* attamen adhuc dum sub legis dictamine manet: *nam lex dominatur homini, quoad vixerit, Rom. VII, 1.* adhuc sub ὄγκῳ τῆς ἀμαρτίας, seu onere peccati, quod tenaciter ipsi incumbit, *ingemiscit. Hebr. XII, 1. Rom. VII, 24.* & tempus illud præscriptum, i. e. τὸ νῦν ἀπολύσεως cum Simeone expectat, quo ex servitute, in libertatem, ex spe, in ipsam hæreditatis possessionem, & fructum introducatur. Qua quidem præmissa distinctione, hæc nostra assertio est: regnitos quidem *jus ad rem*, i. e. spem facultatemque & potestatem habere, æternam consequendi salutem; at vero nondum *jus in re*, vel possessionem futuri illius æternique boni, tenere. Rationes sua quasi sponte se offerunt. Equis enim de possessione gaudeat, qui rem nondum occupavit ante, nec possessionem ingressus est; præcedat igitur necesse est introitus, ἢ εἰσοδος, in æternum regnum DEI nostri, & Servatoris nostri Jesu Christi, qui subministrabitur nobis: docento Apostolo *2. Petr. I, 11.* Nondum autem introivisse fideles in hoc regnum, sed aliquando adhuc ingressuros esse, Christi testatur promissio: *Euge serve bone & fidelis, super multa te constituam, εἰσελθε, intra in gaudium Domini tui. Matth. XXV, 21.* Hoc namque gaudium Domini ipse terminus est, ad quem spes illa tendit: εἰσερχομένην videlicet, seu ingrediens in illud interius, quo præcursor JESUS pro nobis ingressus est, *Hebr. VI, 19. 20.* Jam certum & indubitatum est illud: Quicumque nondum est ingressus in regnum cœlorum, ubi reposita est hæreditas nostra, ille nec dum actu possidet hæreditatem cœlestem, multo minus usum ejus aut fructum percipit. Atqui cum rege-



regenitis ita se res habet: Ergo. Ecquod vero designa-  
 veris momentum hujus ipsius ingressus? non sane præ-  
 sentis seculi istud, sed futuri est: id quod particulis pror-  
 sus emphaticis indigitat Scriptura, ubi ingressum hunc  
 modo refert *ad consummatum vitæ cursum*; & ὁ πόντος, deinceps,  
*coronam justitiæ nobis impositum iri*, docet. 2. Tim. IV, 8.  
 modo *ad ipsum mortis articulum*, quo superato, αὐτὸς ἄρτι,  
*illico, beatos nos fore*, prædicat: Apoc. XIV, 13. modo illud  
 τότε opponit, τῶν νῦν præsentis ævi, & hinc æternæ Beati-  
 tudinis initium ducit. 1. Corintb. XIII, 12. Tametsi vero his  
 omnibus nihil poterat videri liquidius, tamen haud con-  
 temnenda sunt, quæ pro stabilienda sequiore sententia  
 afferuntur in medium. Urget quidam magni nominis  
 Theologus, literis ad me perscriptis, locum 1. Jo. V, 12. *Qui  
 habet filium, (scil. per fidem sibi unitum,) ille (actu) habet vi-  
 tam æternam*; & dubio procul eadem fruitur: addita ratio-  
 ne ex versu antecedente: *DEVS nobis vitam æternam dedit,  
 & hæc vita in Filio ejus est, vers. 11.* Atqui regeniti & justifi-  
 cati habent Filium, per fidem sibi unitum, ipsiusque divi-  
 næ naturæ participes facti sunt. Ergo. Sed enim vero re-  
 spondi (1.) per ἐνσαρκίω: etiam Paulum Apostolum, Filium  
 Dei habuisse, per fidem sibi unitum: quando vivo, inquit,  
*non jam ego, sed vivit in me Christus, vitam autem, quam nunc  
 vivo in carne, per fidem vivo Filii Dei.* Gal. II, 20. eundem ta-  
 men agnoscere; quod, *donec in corpore habitat, peregrinetur  
 a Christo*: 2. Cor. V, 6. eundemque adhuc desiderare ἀνὰ λυσιμ,  
 ἕσθον Χριστῶ εἶναι, & tum demum, *cum Christo esse.* Phil. I,  
 23. Itaque (2.) connexionis infirmitatem ostendi, quæ ab in-  
 habitatione Christi gratiosa, ad actualem vitæ æternæ pos-  
 sessionem procedit, cum illa sit fidei, hæc visionis; illa Beati-  
 tudinis gratiosæ, hæc gloriosæ; altera rationem causæ, altera  
 effectus habeat; sicque adeo limitandam duxi propositio-  
 nem



nem Joanneam: *2. habet filium, per fidem sibi unitum, is habet vitam æternam, scilicet ἐν τῷ γίνεσθαι, & in συνδρομῇ omnium causarum, ad vitam æternam ducentium; cujusmodi sunt: verbum promissionis, gratia DEI, Meritum Christi, fides in sanguine ejus: & quæ sunt hujusmodi; minime vero ἐν τῷ εἶναι, vel in esse formali, quo pacto eam habiturus est in altero seculo. Nec (3.) rationem, ex v. 13. additam, nobis obtinere; cum nihil aliud textus innuat, quam vitam æternam esse in Filio; i. e. ἀρχηγῶν τελευτῆς σωτηρίας, principe & consummatore salutis, Ebr. II, 10. c. XII, 2. i. e. præfinito λύτρωσιν gratiam DEI acquirente, aditum ad cœlestia nobis pandente, nos aliquando introducente in gloriam, & ad dexterâs collocante. Præterea urgebat laudatus ante Theologus: diserte nos jam in hac vita appellari hæredes, quin & cohæredes Christi. Rom. VIII, 17. Gal. IV, 7. & alibi. Verum, & ad hoc responsum a me est: hæredes utique nos esse, sed κατ' ἐπιτίθεσθαι, juxta spem vitæ æternæ. Tit. III, 7. etiam cohæredes nos esse, sed συγκαληροῦμεθ τῆς εὐαγγελίας: i. e. cohæredes promissionis. Ebr. XI, 9. Uti ergo Christum prius oportebat pati, quam intraret in gloriam suam. Luc. XXIV, 26. sic & cohæredes Christi, per multas afflictiones, necesse est, ingredi in regnum DEI. Act. XIV, 22. Denique ipse Dissentiens pugnat locis, quibus regnum gratiæ nuncupatur regnum cœlorum, Matth. XX, 1. & alibi: ipsique fideles jam inter cœlestes, ἐν τοῖς ἐπερανοῖς, collocati dicuntur, in Christo Jesu. Eph. II, 6. Sed nihil quicquam his evincit. Nam regnum cœlorum appellatur Ecclesia, non ratione possessionis aut fruitionis bonorum cœlestium, sed ratione ipsius sedis ac metæ, ad quam viatores tendunt, ibidemque suum sibi domicilium deligunt. Quod vero jam tum inter cœlestes evecti dicuntur, id de possessionis futuræ certitudine capiendum est; quia jus ad rem, sæpe nomen rei accipit; præsertim, ubi immotum est, cui innititur,*



timur, fundamentum; quod, quia *Christus JESUS* est, ut habet  
 πρὸς Θεόν, cœlestia sperare *in Christo*, æque certum fuerit,  
 ac ea possidere. Conf. *Rom. VIII, 39.*

§. XXIII.

Proinde (V.) si cum Philosophis loquendum sit: *non tantum gradibus, sed etiam specie utramque Beatitudinem inter se differre, pronuntiamus.* Sed, uti ultimas rerum differentias penetrare difficile est, rerum autem divinarum discrimina constituere, ingenio humano sublimius: ita mirum non est, Theologos in distingvenda utraque Beatitudine nonnihil, quod rei arduæ indicium est, fluctuare. Sic gradu tantum, & modo differre utraque hæc bona, B. Lutherus aliquando statuit, cujus verba sunt: *Regnum fidei & futura vite, differunt non ad rem, sed tantum ad modum rei. Sumus enim filii, sicut Johannes dicit, sed spe: nondum enim apparuit; nam qui crediderit, is jam habet remissionem peccatorum, habet vitam, eamque aternam. Sumus itaque vere in regno vite, jam regnamus, jam sedemus in coelis, sumus jam salvi facti, sed spe. Vita enim aterna & beatitudo jam coepit, cum Christus transferret regnum Judæorum, cum jam ex morte resuscitaretur. Quicumque ergo in Christum credit, is jam eam habet & possidet. T. III. lat. Jen. f. 433.* Ad quem locum haud dubie respiciunt, D. Schilterus & Harbartus, Theologi Lipsienses, in *Capitibus doctrina christiana*, communi (quod eximium consensus Theologici exemplum est,) studio & labore editis, quando sic pergunt: *Differunt vita aterna hujus & futuri seculi, in quo Christus regnum Patri adducet, i. e. glorificatam Ecclesiam, non tam re ipsa, quam modo rei, ut verbis Lutheri utamur: maxime vero partim mediis, seu vinculis, ἐμμεσθ καὶ ἀμέσθ τῆς ἐνώσεως καὶ κοινωνίας τῆ Θεῶ, nobiscum & nostri cum DEO. (Jo. XV. cap. XVII. 1. Cor. III, 23. 2. Cor. VI, 16. sq. Eph. III.)*



pactim modo & gradibus communicationis & perfruitionis be-  
 neficiorum aeternorum in caelis, seu supercaelestibus. *Loc. de*  
*Vit. aet. Thef. CXI. vers. 1028.* Vix autem alius tam acriter  
 propugnat hanc hypothesin, quam B. Hulsemannus, qui  
 cum B. Koenigio, de cuius sententia ex libello Methodi-  
 co constat, fruitionem partium essentialium vitae aeternae re-  
 genitis jam in hac vita, adscribit, adeoque Beatitudinem  
 hujus & alterius vitae specie & natura eandem esse, nec nisi  
 gradibus & aeterna continuatione differre, tradit. Tandem  
 vero, inter formale vitae aeternae, & materiale distinguit: nec  
 illud quidem, quod in cognitione Dei intuitiva collocat; sed  
 hoc saltem, i. e. pacem cum DEO, gaudium in DEO & instan-  
 rationem imaginis divinae, ad hujus vitae felicitatem refert:  
 in Calixtinischen Bewissens. *Burm. cap. VI. p. 642. sq.*  
 Nec ab hoc suo Praeceptore dissentit B. Rappoltus, qui  
 fruitionem V. A. inchoative & respectu certorum graduum  
 regenitis in hac vita tribuit. *Comment. in Theologia Aphorist.*  
*Joann. p. 266.* Interim tamen, si numero certare velimus,  
 non pauciores illorum fuerint, qui & graduale, & certa ra-  
 tione, specificum discrimen defendunt. Perstat in hoc as-  
 serto B. Gerhardus, & cum thetice, cum exegetice illud  
 proponit. *Divus Apostolus*, inquit, *1. Cor. XIII, 12.* per duas  
 species ἀντιδιόψεως sibi invicem oppositas, visionem DEI sic  
 distinguit, quod una sit hujus vitae propria, quam vocat spe-  
 cularem, quia nunc per speculum in enigmate videmus, alte-  
 ram intuitivam, qua tunc a facie ad faciem videbimus. *Loc.*  
*de vita aeterna. §. 134. & paulo post. §. 135.* *Emphasis dicto-*  
*rum ostendit, ipsius essentiae divinae visionem beatis tribui. 1. Cor.*  
*XIII, 12.* Visio specularis & intuitiva, non gradibus dun-  
 taxat, sed etiam specie, invicem distinguuntur. Nam visio  
 imaginis hominis, in speculo relucens, & visio ipsius hominis  
 a facie ad faciem, non differunt tantum gradibus, sed etiam  
 specie:



specie: cum illa sit reflexa, hac vero directa. Jam vero cognitio DEI in hac vita, respondet visioni imaginis hominis in speculo relucens; visio DEI in altera vita, respondet visioni ipsius hominis a facie ad faciem. Ergo cognitio DEI in hac vita, & visio DEI in futura vita, non tantum gradibus perfectionis, sed etiam specie differunt; quo etiam respicit Apostolus, quando 2. Cor. V, 7. per fidem & non per speciem, nos ambulare asserit. Hactenus Gerhardus, quem proinde citat, & velut ducem, sequitur Dannhauerus: Intuitiva, inquit, immediata ac beatifica DEI visio a facie ad faciem, qua fidei opponitur. 1. Cor. XIII, 12. qua suas arumnas solatur Jobus cap. XIX, 26. non gradu tantum, sed specie diversa a visione hujus vite, quemadmodum visio detecta hominis, specie differt a visione, in speculo reflexa. In tab. Hodosoph. premissa. p. 13. Licet vero a se ipso dissentire alicubi videatur, cum, sortem regenti, ait, a sorte cœlesti non differre specie, sed gradu, apparitione, gloria, lumine, &c. Hodosoph. p. 1404. tamen priorem locum, velut cynosuram totius operis, *Ἐποπτιδεσι δευτέροις* accensendum putem, adeoque posteriorem hunc, inde emendandum. Multo in his, constanter est Hœpfnerus, qui distinctis aliquot momentis, Beatitudinem gratiæ & gloriæ *re ipsa* differre docet: *Ἰν μακαρισμῷ Davidico*, Dissp. Miscell. pag. 402. Cui rotunde, ut solet, ac nervose subscribit Carpzovius Senior: *Regentus est filius DEI ac hares vite aeternæ, hic in spe, illic in re: quod ad minimum, reale discrimen indigitat.* Syst. Theol. Part. III. Art. XX. p. 1133. Ipsam vero controversiam Anti-Prætorio-Statianam B. Calovius sic concipit: *An in hac vita beatus simus actu ipso, nec ne?* & pro nostra sententia decidit, solidissimisque argumentis discrimen utriusque reale ostendit. Tom. X. System. Art. VII. Qv. II. p. 607. Consentit Qvenstedius, & non suis ipsius, sed Gerhardi verbis, eandem exprimit



sententiam. *Syst. P. I. p. 320.* Taceo B. Waltherum nostrum, qui similiter nos instruebat quondam, quando, explicata cognitione DEI *speculari & intuitiva*, concludebat: *Ex his patet, cognitionem DEI in hac vita, & visionem essentia divina in aeterna vita, non tantum gradibus, sed ipsa etiam specie, inter se distingui: In Controvers. Theol. MSC. ad Koenigii §. 308.* Adde Venerand. D. Schelwigium, qui ex instituto *essentialem* utriusque cognitionis *differentiam* probat, & solidis aliquot rationibus confirmat. *In Synops. Controv. Art. XXXIV, 2<sup>o</sup>. VII. p. 412.* Equidem, vix opis est nostrae tantas dirimere lites, cum & parum cognita Beatitudinis coelestis forma sit, ex qua alioquin *τὸ distingui sequitur*; & modi distinctionum transcendentalium, rebus divinis, haud adeo tuto accommodentur. Interim ubi trita fatis non fuerit via, suspensis saltem pedibus tentanda erit. Caput autem rei est, perspectum habere, quid Philosophis *gradu*, quid itidem *specie distingui*, dicatur. Prius quidem fat notum, cum illud *gradu differre*, dicant, quando una eademque species secundum *magis & minus* distinguitur, adeoque vel ab augmento suo, vel decremento, denominatur. Posterius vero, tanto plus difficultatis habet, quanto intricatius rem proponunt Metaphysici, ut nesciam, quo fato, in ipso distinctionum capite, vel maxima regnet confusio, velut jam pridem B. Calovius conquestus est, *Opp. Philos. p. 440.* Consulendus itaque nobis Aristoteles est, non quasi animus sit, ex eo summum fidei mysterium interpretari: ita enim profani non sumus: sed ut pateat, num in hac controversia rectius decidenda, notionibus secundis uti, sine offendiculo, liceat. Ipse vero Philosophus *τῶ λόγῳ καὶ τῶ εἶδει distingui*, pro iisdem habet. Insignis est locus & oppido perspicuus, ubi ait: *τὸ γὰρ εἶδει διαφέρειν λόγῳ, καὶ λόγῳ ταυτὸν. Phys. I. c.*



VII. Quod quidem plerique interpretum vertunt: *specie* &  
*ratione differre idem dico*; sed notant perspicaciores, *λόγον*  
 apud Philosophum non *νόησι* significare, sed *λόγον τῆ τι*  
*ἦν εἶναι*, ut Philosophus alibi id effert. *V. Metaph. c. II. i. e. for-*  
*nam*, seu *rationem ejus, quid erat esse*: vel, ut Scholastici lo-  
 quuntur, *formalem rationem*: *λόγῳ* autem *χωριστὰ*, item-  
 que *λόγῳ ἕτερα* perinde ipsi esse, ac *εἶδει καὶ ὀρισμῶ*. i. e.  
*specie, quidditate & definitione, esse distincta*. Loca suppedi-  
 tant D. Zeidlerus in *Analys. Poster. p. 237.* nec non Dn. D. Nie-  
 meierus, Fautor & amicus singularis, in erudita Disputatio-  
 ne *de modis Distinctionum. §. XI. sq.* Ex quibus omnibus perspi-  
 cuum est, quæ *εἶδει* seu *specie differre dicuntur Philosopho,*  
 non ad distinctionem rationis, sed *πράγματι* i. e. *realem*  
 pertinere. Itaque Scholastici, Aristotelem in primis secuti,  
*specie differre dicunt, quæ ipsamet natura & essentia, seu diver-*  
*sa, seu separabilia sunt.* Atque hæc causa est, cur istam distin-  
 gvendi rationem, modo *constitutivam* appellent, utpote, *quæ*  
*speciei substantiam compleat atque constituat: modo specificam,*  
*quod generi adveniens, speciem quasi faciat; ceu perspicue tra-*  
*dit Zabarella in Oper. Logic. p. 1707. it. tabulis in introduct. Por-*  
*phyrii p. 85.* Quo quidem pacto, differentia essentialis illa est,  
*quæ contrahit genus ad esse Speciei, uti eam describit Dominicus*  
*de Flandria, Thomistarum Philosophorum facile Princeps.*  
*Commentar. Metaphys. Arist. L. VI. p. 422. & juxta Conim-*  
*bricenses: ea differunt specie, quæ diversas habent definitiones*  
*essentiales. Comment. in Univers. Dialect. Arist. P. I. pag. 181.*  
 Proinde & nostrates Philosophi specificam differentiam  
 ad classem distinctionum realium referunt, adeoque *spe-*  
*cie diversum, definiente Hæpffnero, nihil aliud vocant, quam*  
*quod τῷ πράγματι, re ipsa, natura & essentia differt. Comm.*  
*in Veter. Logic. p. 172. Conf. B. Martini Instit. Logic. pag. 450.*  
 Ut



Urigitur ordine nos expediamus, *Distinctio realis*, præeunte Calovio nostro *l. c.* est *vel realis tantum, vel essentialis*. *Illam* inter ea volvitur, quorum eadem est essentia numerica, ita tamen, ut nihilofecius sibi mutuo sint incommunicabilia; qualis est in sanctissimo S. S. Trinitatis mysterio. *Essentialis* vero distinctio illis intercedit, quibus sunt essentia diversæ; sive separatae sint actu, sive tantum separabiles citra contradictionem. Atque hæc iterum vel *generica*, vel *specifica*, vel *numerica* est; ultimam in præsentem non attendo, velut ab instituto alienam. *Genere* autem differunt, quæ vel in diversis sunt categoriis, vel sub diversis, unius categoriæ speciebus: ut *linea & habitus: homo & lapis*. Quæ vero tandem specie differunt? scilicet *qua in conceptu quidem generico conveniunt, at forma specifica distinguuntur: adeoque diversas inter se essentias habent*. Sive autem *Essentia* vox *strictè* accipiatur, pro ratione substantiæ, accidentibus opposita, sive *late*, pro *quidditate*, & *formali ratione*, cum substantiarum, tum accidentium, perinde fuerit: siquidem *in necessitatis casu, & illa distinctiones pro essentialibus debent haberi, quæ unum per se contrahunt, per membra accidentalia*, uti acute docet Noldius. *Leg. Distingv. p. 269.* Quo quidem sensu specie differre dixeris, non tantum *hominem & brutum*: quod exemplum crambe Dialecticorum vel millies cocta est, sed & *bona animi & fortuna*; sed & *diversas respublicas*; quin & *Scientias in univèrsam omnes*, quippe quæ suis specificantur objectis, ut constat, eoque *specie & natura distingvi*, rectè dicuntur. Jam igitur, quid obstat, quo minus & *bona spiritalia & caelestia*; *πολιτευµα* hujus, & *futura vita*, ipsamque adeo *Beatitudinem gratia & gloria*, *specie & natura* invicem differre, statuendum sit? Tametsi enim conceptu generico conveniant, & quandam inter se habeant analogiam,



logiam, tamen ex tot connotatis intrinsecis, genus contrahunt ad *formam specificam*, diversasque adeo naturas & definitiones sortiuntur. Conferantur momenta, quæ supra tam copiose, vel ideo conquirenda erant, ut ex illorum *συνοδρομῆ* & aggregatione, *differentia* utriusque Beatitudinis *essentialis* ostenderetur.

§. XXIV.

Itaque distingvuntur (α) *Fundamentis*: quandoquidem *fides* est ὑπόστασις Beatitudinis *spiritualis*; *visio* autem *æterna* ac *cælestis*: illa est τῶν ἐλπίζομένων, i. e. eorum, quæ sperantur; hæc τῶν ὑπηργμένων, seu, quæ jam obtinentur: illa τῶν μὴ ἔλεπομένων, seu *invisibilibium*; hæc τῶν ἔλεπομένων, seu *ante oculos positorum*: quæ sane, velut duæ species, ἀντιδιηρημένως sibi invicem opponuntur. Sic & distingvuntur (β) *Objectis*. Nam *spiritualia* ex fide in fidem transeunt; *cælestia* vero, a facie ad faciem, adsurgunt. *Transitoria* illa sunt, nec diuturna gaudent possessione: hæc *perpetua*, & ab omni hostium invasione *secura*. Cessabunt igitur *Spiritualia* illa bona, ut *vocatio*, *illuminatio per verbum* & *Sacramenta*, *contritio cordis* & *legis concussio*, ipsaque *regeneratio*, & quæ ex *Evangelio* & *Sacramentis* oritur, *refectio*. Non locus dabitur amplius *justificationi ex fide*, nec *adoptioni in filios per fidem*, nec *renovationi* aut *purificationi cordis nostri*, & quæ sunt cetera. Ea vero, quæ in locum illorum succedent, *cælestis vitæ*, dona, ἰδὲ καὶ πάντα, ecce omnia nova futura sunt. *Apo. XXI, 5*. Quid? si Apostoli standum effato sit, hæc, quantacunque fuerint, bona, propemodum *puerilia* reputanda erunt, præ iis, quæ nobis reposita sunt in cælis: quia instituta utriusque Beatitudinis *συγκρίσει*, pergite: *cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: at, ubi factus sum vir, κατήργηκα, abolevi puerilia*. *1. Corinth. XIII, u*. Quæ sane *emphasin*



habent singularem. Præterea distingvuntur ( $\gamma$ ) & *Formis*. E-  
quidē, clare satis utriusq; Beatitudinis formā expressit Apo-  
stolus, alteri  $\pi\epsilon\rho\iota\pi\alpha\tau\omicron\nu$  *fidei*, alteri vero *visionis*, assignando.  
2. Cor. V, 7. Nā fide, veluti duce, & spe comite,  $\pi\epsilon\rho\iota\pi\alpha\tau\epsilon\mu\epsilon\nu$ ,  
usq; dum ingrediamur regnū cœlorū, & promissionū divi-  
narū eventū coram intueamur. *Ebr. VI, 19*. Nec minus tamen  
clare *formæ* diversitas dispalescit ex utrorumque bonorum  
distincta *possessione*. Spiritualium enim bonorum possessio  
*æthæralis* atque *realis* est; cœlestium vero *potentialis* tantum,  
*sperabilis* & *futura*. Recordemur Adami, primi hominis,  
cui sane præter justiciam originalem, donorum supernatu-  
ralium insignis facta fuerat accessio, quod passim Theologi  
inculcant: nemo tamen affirmaverit, eundem vel cœli in-  
colam, vel cœlestium saltem bonorum, jam in hac vita, pos-  
sessorem fuisse. Nam adhucdum corpus ejus animale, nec-  
dum glorificatum erat; adhucdum colonum agebat, non-  
dum  $\iota\sigma\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda$   $\text{\textcircled{C}}$  erat; Dominum quidem paradisi terre-  
stris dixisses illum, necdum tamen civem paradisi cœlestis.  
*Apoc. II, 7. XXII, 2. 14*. Sic & prima viventium mater de acqui-  
sito, per fidem,  $\Theta\epsilon\alpha\upsilon\delta\epsilon\omega\pi\omega$  gaudebat, *possedi virum Domi-*  
*num. Gen. IV, 1*. neque tamen se ipsam actu beatam prædicare  
poterat, utpote quæ jam paradiso exclusa, in exilium conje-  
cta, & tot miseriis humanis exposita erat. Jacobus item Pa-  
triarcha, *benedictionum spiritualium* a Messia luctatore impe-  
traverat abunde. *Gen. XXXII, 25. 27*. adeo tamen non præsen-  
tem sibi fingebat Beatitudinem cœlestem, ut vel in ipso mor-  
tis agone eandem desideraret; *expecto*; inquit, *salutem tuam*  
*Jehovah, Gen. XLIX, 18*. Amplius etiam distingvuntur ( $\delta$ )  
*Subjectis, eorundemque statibus*. Siquidem jam homo, quoad  
in vivis est, sub metu legis & iræ divinæ tremit; aliquando  
autem sub gratiæ præfidio delitescit: hic sub onere peccati  
ingemiscit; illic se liberatum ab omni peccati labe intelligit.

Pau-



Paucis: *terrenus* alter, & morti obnoxius, alter vero *caelestis*; quæ ipsius Pauli distinctio est. *1. Cor. XV, 48.* Denique (ε) ipsis distingvuntur *Attributis. Mediatæ hæc est cognitio DEI, & quasi remotæ; altera vero immediatæ & proxima, quia Deus omnia in omnibus futurus est. 1. Cor. XV, 28. Specularis hæc nostra, quando attributa divina, ut sapientiam, immensitatem & potentiam, in libro naturæ, velut in speculo, saltem intuemur. Rom. I, 21. illa ocularis, qua essentiam & virtutes divinas, καὶ θεὸς εἶσι, coram conspicabimur. 1. Jo. III, 2. altera enigmatica, quæ tantum, ut ænigma a posteriori cognoscitur: altera intuitiva, & quæ ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν quasi per omnes gradus evehitur: 2. Cor. III, 28. Successiva altera & transitoria, altera permanens atque æterna est. Matth. XXV, 46. Quæ attributorum diversitas, vel sola, invictum distinctionis essentialis documentum suppeditat. Plura omitto, quæ jam ante erudite & solide confecta sunt a grandævo, sed, per DEI gratiam, adhuc vegeto Theologo, Dn. D. Jos. Schwartzio, Ephoro per Holfatiam Generali, in *Judicio super hac controversia*; per integrum. Adde *Veneranda Facult. Gryphica responsum*, de eadem causa publicatum. Nihil proinde huic assertioni derogat, quod perpetuo objectitant Dissidentibus: *cognitionem ratione objecti, scilicet DEI triunius, utrinque esse eandem: Imaginem divinam hic instaurari, illic vero consummari: Pace & gaudio hominem sic impleri, ut in Deo exultet; ipsum, denique, amorem DEI & proximi, vel Apostolo teste, nunquam cessaturum.* Quæ talia ipsius B. Hulsemanni argumenta sunt. Verum, tantum abest, ut nos stringant illa, ut ne quidem ferire scopum videantur. *Gradualem enim Differentiam* tantum evincunt; quam & nos, cum Theologis, ultro admittimus, probe gnari, quædam *καρίσματα*, & sigillatim quidem *amorem DEI & proximi & δὲ ποτε ἐκ πῆλιν*, nunquam interire. *1. Cor. XIII, 8.* interim*



non solum hanc differentiam, sed insuper etiam *Specificam* defendimus. Quod si enim paulo altius perpendantur, diversam omnino indolem ac naturam in plerisque omnibus apprehendere licebit. Nam *cognitionem* quod attinet, etsi ratione *Objecti* non variet, nihilominus tamen respectu *Subiecti* alia, specieque diversa erit a cœlesti, semel iterumque dicente Apostolo; *γνώσις καὶ ἀργηθήσεται. 1. Cor. XIII, 8. 10.* Jam vero cognitio perfecta, gradibus tantum differens ab imperfectiore, eandem proprie loquendo non abolet aut tollit, sed potius perficit: sicut majus lumen non interimit minus, sed auget ac perficit, ut magno judicio colligit B. Gerhardus, *l. c. §. 134.* Ceterum *imago divina ἐν μέσσοις* quidem hic instauratur, sed nunquam ita perficitur, ut pristinam recipiat formam, quippe quæ effectus est *visionis DEI beatifica.* Cur enim DEO similes futuri sumus? respondet Joannes: *quia videbimus ipsum, sicuti est. l. c.* Quæ autem formis inter se differunt, illa omnino specie & essentialiter differre, per Metaphysicorum axioma, constat. Præterea de pace & gaudio tenendum, quod *regni gratia χαρίσματα* sint, *Rom. XIV, 17.* eoque amissibilia; sic, ut per carnis imbecillitatem, & mundi insidias, tranquilla non sit istorum bonorum possessio. Quæ vero alterius seculi sunt halcyonia & gaudia, ex visione DEI beatifica derivat Servator: nam *nunc quidem, inquit, moerorem habetis, sed iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum (me scilicet conspecto,) & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Jo. XVI, 22.*

### §. XXV.

*Satius tamen (VI.) &, nostro quidem judicio, captui inferiorum convenientius est, sensu non tam transcendentali & metaphysico, quam morali atque politico, utriusque Beatitudinis discrimen explicari.* Singularia enim, &, quæ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν sunt, fidei mysteria, non semper rigidis illis Me-

taphy-



taphysicorum regulis adstringi se sinunt: sed vel ipsa quandoque transcendentalia longius transcendunt. Quodsi igitur discrimen Personarum in S. S. Trinitate *reale tantum* vocant Theologi, ne scilicet in majores implicentur difficultates; quid impedit, quo minus hoc tam sublime mysterium ad eundem modum, *reale tantum*, aut reale eminens, appellemus? præcisus scil. inferioribus illis modis, quibus novum subinde certamen excitari poterat. Singula enim *χαρισματα*, singularem propemodum controversiam deposcunt. Itaque & hic visum est Spiritui S. succurrere imbecillitati nostræ, & ex rerum moralium atque civilium classe potissimum, hujus & alterius seculi Beatitudinem delineare, ut de *discrimine* utriusque, minimum, *reale*, nefas sit amplius ambigere. Differt itaque, ex mente Spiritus S. utraque hæc Beatitudo, ut *desponsatio & matrimonium*: nunc enim fideles tantum desponsantur Christo, & accepto promissionis verbo, ipsoque Spiritu S. in arrabonem hæreditatis dato, obsignatam quasi hanc spem habent, fore, ut ad nuptias agni evocentur quamprimum, atque introducantur. *Eph. I, 14. Matth. XXV, 10. Apoc. XIX, 7.* Jam, Carpzovio describente *Lib. II. defn. 130. num. 1. 2. Differunt sponsalia a matrimonio, ut spes alicujus rei, a re ipsa veluti sponsalia dicuntur spes matrimonii, in legibus civilibus: sponsalia fiunt verbis, sed matrimonium re ipsa & facto ratificatur.* Differt porro ut bonum *expectatum*, & *re ipsa possessum*. Nam fideles subinde dicuntur *μέλλοντες κληρονομεῖν σωτηρίαν*, i. e. *hæreditatem consecuturi* *Ebr. I, 14. Conf. Gal. V, 12. Coloss. I, 12. 1. Petr. I, 4. Ebr. IX, 15.* Quantum vero discriminis est inter illum, qui hæreditatem sperat, & qui eam jam possidet; hoc itaque *reale* dicere, quid vetat? Differt præterea, ut *regnum gratiæ & gloriæ*, quorum alterum in medio hostium administratur; alterum ab omni



54  
hostium invasione tutum est, plenumque triumphis. *Matt. XXV, 34. 1. Cor. XV, 25. 28.* Dixerit Philosophus paulo rigidior, hæc specie differre, perinde ut Respublicæ & regna specie inter se distinguuntur; dixerit alius, mitius forte sentiens, reale tantum discrimen hic observari, cum ad ultimas utriusque regni formas pertingere sibi non liceat: dixerit denique *κατηχησμεν*, & qui altius penetrare nequit, aliud nobis longeque diversum, ab hoc, regnum paratum esse: parum certe interest, nec quicquam causæ orthodoxæ decedit, dummodo discrimen, quod Scriptura tantopere amplificat, tamque sollicitè inculcat, non extenuetur nimis, nec, vel obscuretur, vel tollatur plane. Distingvit Scriptura inter *viam*, quæ spiritualis Beatitudo est, & inter *patriam*, quæ Beatitudo cœlestis. *2. Cor. V, 7. 8. Ebr. XIII, 14.* Tanta autem inter utramque, quanta maxima esse poterat, distantia est. Distingvit denique inter *certamen*, & certaminis *premium*. *Non enim omnes, qui currunt in stadio, brabeum consequuntur. 1. Cor. IX, 24.* Apostolus ipse necdum se apprehendisse, illud fatetur. *Phil. III, 12.* Cogitemus igitur, quanta inter cursum & palmam, quanta inter luctam & coronam vicissitudo. Sane, non discrimen forte aliquod, sed tantum utrinque intervallum intercedit, ut ante consummatum cursum, confectumque certamen, brabeum velle prensare, delirum esse videatur.

§. XXVI.

*Neque vero (VII.) frivola, vel otiosa hac controversia est; sed tanti omnino momenti, ut sublato hoc, vel obscurato saltem discrimine, metuendum sit, ne fidei ipsius, & universa adeo Theologia sine penitus excidamus.* Fermentum enim, quantillum etiam fuerit, totam tamen massam inficit, ac sæpe corrumpit. Plurimum vero affinitatis, cum fanaticis omnium temporum, isthæc habet hypothesis, & vel ideo fugien-



fugienda. Ita Tatius ille mysticus, de regeneratione sui differens, ait: *video, me in omnibus & omnia in me; ego sum in inferno, & infernus in me.* ap. Mercur. Trismegistum. p. 32. Πρωτον vero ψευδος, ut totius Fanaticismi, sic & hujus κενωτικαs est, dualitas illa principiorum ἀντιέχων, quorum alterum, substantiam tenebrarum, alterum lucis; illud infernum, hoc caelum appellant. Quæ pestilentissima opinio ex foedis paganorum rivulis hausta, in Manichæorum exundavit colluviem, & Mysticorum agellos irrigavit, unde hodie tot venena progerminant. Hinc enim Bœhmanus ille flosculus: *Ein jeder Mensch trägt auff dieser Welt Himmel und Hölle in sich. Die ewige Finsternis der Seelen ist die Hölle / als eine Angst: Quaal / welche Gottes Zorn fasset: und das ewige Licht in der Seelen ist das Freuden Reich / darin die finstere Angst in eine Freude verwandelt wird.* Tr. de VI. punct. c. IX. p. 102. it. de Regenerat. c. I. p. 185. Hinc Quackerorum illud ἀγσμοα: *Nullum esse caelum atque infernum, nisi qui intus sunt in hominibus.* ap. Crœsum Histor. Quacker. p. 449. It. *Non aliam vitam promitti, quam quæ nunc a sanctis in filio DEI habetur, nisi quod vita hujus excellentior gradus aliquando revelari debeat.* uti Ames garrit contra Jac. Andriansz. pag. 8. 9. Hinc & Poiretianum illud: *æterna vite juxta & æterna mortis fundamentum in anima natura delitescere.* Oeconom. L. I. c. XIV. §. 8. 12. Licet vero levius impingere videantur Dissidententes, periculosum tamen est, in confinio talium errorum consistere, unde proclivis & facilis est lapsus, & ipsius fidei periclitatur basis. Nam ubi invaluerit hæc hypothesis; mox concidet distinctio inter Theologiam vite & patriæ; seu, quod idem est, viatorum & comprehensorum. Exspirabit illa spes viva, in quam regeniti sumus, quamque *velut anchoram tenemus animæ, tutam atque firmam.* Ebr. VI, 19.

Ex



Ex adverso autem spes illa Cbiliaistica meliorum temporum, & regni gloriosi, in his terris instaurandi, sensim succrescet; ipsa denique Fides suo frustrabitur fine, i. e. salute animarum, in cœlis reposita. 1. Petr. 1. 4. 5.

## §. XXVII.

Denique (VIII.) Quod Theologos cordatiores attinet, qui ejusdem insinulantur sententia, ab omni heterodoxia suspicione immunes illi sunt; quandoquidem vel de infallibili vita aeterna Beatitudine loquuntur: vel  $\mu\epsilon\tau\omega\nu\mu\iota\eta\tau\omega\varsigma$  causas aeternae salutis, pro ipsomet effectu, allegant: vel  $\pi\rho\gamma\epsilon\upsilon\sigma\omega$  vita aeterna amplificant nimis, & ipsis sensibus exponunt: vel, Rhetorum more, regnum gratiae aliquanto splendidius describunt: vel denique, ante motum hoc certamen, paulo liberius differunt: nemo tandem omnium est, qui novaturientium opinioni, sicubi aut in Entbusiasmum, aut Cbiliaismum degeneret, adhaereat. Sive igitur verba piorum Confessorum F. C. p. 684. & imprimis B. Lutheri loca, quæ magno studio conquiruntur, expendas, non nisi de certitudine vitæ aeternæ, per enallagen Præteriti & Futuri, capienda esse, ultro patet; quin & semetipsum explicat Lutherus Tom. II. Alt. fol. 408. T. III. A. f. 549. T. V. Alt. f. 603. T. VI. A. f. 356. 579. Sive Hülsemanni & Rappolti contentiones observes, causas vitæ aeternæ illi vendicant, quod ipsimet effectui tribuendum erat: Sive D. Luttkemanni  $\alpha\nu\rho\rho\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$  examines de  $\pi\rho\gamma\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\iota$  V. Æ. sensualis; jam notatæ sunt illæ, & a B. Hannekenio nostro, in lection. publicis; excussæ; Sive D. Nicolai & Meyfarti libros, de theoria V. Æ. cælesti Hierosolyma evolvas, nihil est, quod culpes in his viris; nisi quod nonnunquam paulo liberius rhetoricentur. Reliquos pro sua quisque æquanimitate, vel excusabit, vel ubi res postulet, ad lydium Scripturæ lapidem dijudicabit.

SOLI DEO GLORIA!



ED - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle  
003 096 890  
ULB Sachsen-Anhalt  
Ausschließen  
Datum: 2008



Sb.

D.

Rel. ✓

46  
J.H.









DISPUTATIO  
QUAM SV  
SERENISS. P  
DN. FRIDER  
RECTORIS MA

BRABE  
VICTO

COELESTI  
HVIVS  
PR.

DN. IO. GEOR  
DOCTORE ET PROFE  
PLI AD ARCEM PRAEP  
ASSESSORE, ACA

PRO-RECTO  
DOMINO PATRONO, AC  
RENTIAE ET CVLTA  
VITAM

MICHAEL  
A clō DCC V  
EDITI

VITEMBERGAE, LITER

